VITT. EMANUELE



Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
III · 20 . b

Digitized by Google

131

1

Digitized by Google

Digitized by Google

CHRYSIPPVS
SIVE
DE LIBERO ARBITRIO.

EPISTOLA
CIRCVLARIS
AD
Philosophos Peripateticos.

Collegii Romani Cat. Inscript.
Bibl. Secr. ex dono Auth.







Anno M. DC. XLIV.

Digitized by Google

12.27.F.10

Τὶ γὰρ εἰ στρέφεσθαί σοι τὸ πᾶν δοκεῖ ναυτιῶντι τυχὸν ἢ μεθύοντι, καὶ τὴν σὴν ἄγνοιαν ἑτέρων ὑπολαμβάνεις;

Quid enim ſi tibi nauſeanti fortè aut ebrio vniuerſum circumagi videatur, & tuam ignorantiam aliorum eſſe interpreteris? Nazian.

Digitized by Google

CHRYSIPPVS
SIVE
DE LIBERO ARBITRIO.
EPISTOLA
AD



Philosophos Peripateticos

REM à vobis non bellam fieri dolemus, Eruditissimi Viri, quòd sic Aristotelem vestrum docetis, id est, vt dicere quidam solent, sine Aristotele. Rari eum legunt, vt audiuimus, rarissimi qui sensus eius scrutari, & intelligentiam assequi conentur.

Non igitur Aristoteles in vobis loquitur, sed vos in Aristotele, & singuli assumpta eius persona, facitis eum quidquid animo vestro & imaginationi collibitum garrire.

Sic dum Ecclesia vnum Aristotelem, ad doctrinæ concordiam, Scholas Christianorum permittit ingredi, plures furtim Aristoteles subeunt, quàm olim Troiam sub equo durateo Proceres Achiui. Et quod pessimum est, doctrinæ cum alijs consensus, modicæ eruditionis, aut ingenij signum habetur; ideoque qui famam volunt, secedere & dissentire à grege communi debent: quod dum omnes faciunt, grex ipse dissoluitur, nec vlli iam amplius via veteri & publicâ gregatim incedunt, sed per semitas & vepres, per rupes etiam, cacumina & præcipitia montium multi, hoc est, *in mirabilibus super se ambulant.* *Psal. 130.*

Res ista multas olim in Ecclesia turbas dedit, & porrò dabit plures, nisi supremus Pastor vagos ac palantes maturè reducat aut repellat in gregem. Nam dissensus & pugnæ Philosophorum transferuntur postea ad Theologiam; & quæ in lacu illo vndulæ tantùm erant, in magno hoc mari fluctus & tempestates fiunt. Secundùm enim Philosophiæ suæ principia quisque in Theologia progreditur; imò quidam totâ vitâ Philosophi manent, & in antiquos syllogismorum circulos, aut sophismatum spiras semper intenti, Scholæ pulverem tantùm mutant.

Itaque vt Philosophorum horologia consonent, ad Aristotelem, S. Thomam, Scotum, & veteres illos Interpretes pondera nimiùm prolapsa, & longiùs in dies properantia, reuocari debent.

De ceteris dogmatibus nil attinet iam dicere, quantum in natura liberi arbitrij explicanda, ab Aristotele suo & veteri Interpretum æuo desciuerint multi Neoterici, statui breviter, & per quasdam veluti tabellas, siluam rerum aliàs satis confusam & intricatam, distinctè ob oculos proponere.

CAPUT I.

Naturam voluntatis & libertatis explicare est difficile.

S. Aug lib. 11. c. 14. Confess.

Quod olim S. Augustinus de tempore dixit, *Si nemo ex me quærat, quid sit tempus, scio; si quærenti explicare velim, nescio;* idem fermè de voluntate & libero eius arbitrio potest dici. Vagam & confusam quandam cōceptionem ruditer formare videtur facillimum, si verò rei fundum perscrutari velis, illicò tenebræ & puteus Democriti. Hoc veterum Philosophorum in ista re caligines, & Andabatarum pugnæ in concilianda Dei providentia cum humana libertate satis dicunt. Quidam enim

Digitized by Google

dam enim omnia casu extra diuinam prouidentiam ferri crediderunt; alij à Dei prouidentia humanas voluntates fatali necessitate propelli; *Chrysippus tamquam arbiter honorarius*, inquit Cicero, *medium fieri voluit*. Nempè humanas voluntates à diuina prouidentia regi, & à fato primum velut impulsum accipere dicebat, reliquum verò motûs esse in voluntatis potestate. Et rei hujus obscuritatem rudi similitudine, ac familiari exemplo cylindri, aut turbinis quem flagello pueri agitare solent, illustrabat. *Vt enim qui protrusit cylindrum*, inquiebat, *dedit ei principium motionis, volubilitatem autem non dedit; sic visum obiectum imprimit quidem & quasi signat in animo speciem suam, sed assensio nostra est in potestate, eaque, quemadmodum in cylindro dictum est, extrinsecus pulsa, quod reliquum est suapte vi & natura mouebitur.* In quo profectò, si benignum Interpretem nactus fuerit, si non ipsam, proximè tamen veritatem attigit.

Cicero lib. de fato. *Cic. ibid.*

S. Anselmus quoque *notitiam potestatis, necessitatis, voluntatis*, quibus vocabulis & rebus tota materia & doctrina liberi arbitrij contexitur, *non multum facilem esse* dicit, & meliùs S. Augustinus *rem multum abditam* appellat. Ego enim certè nihil in vniuersa Philosophia difficilius & impeditius esse credo. Vnde alibi Augustinus huius rei profunditatem inspiciens, *Si tibi proponam quæstionem*, ait Petiliano, *quomodo Deus Pater attrahat ad Filium homines, quos in libero dimisit arbitrio, fortassis eam difficilè soluturus es. Quomodo enim attrahit, si dimittit, vt quis quod voluerit eligat? Et tamen utrumque verum est, sed intellectu hoc penetrare pauci valent.* Et iterum ad Pelagium: *Quæstio ista, ubi de arbitrio voluntatis & Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur, quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.*

S. Anse. lib. 1. c. 2. Cur Deus. *S. Aug. lib. 1. Oper. imperf.* *Idem lib. 2. c. 84. contra Petil.* *Idem c. 47. de gratia Christi.*

Nec iniucundum erit Petri Pomponatij, nobilis inter Italos Peripatetici, æstum hîc animi videre & ridere, qui

Digitized by Google

totis ingenij viribus conatus humani arbitrij, & eius cum diuina prouidentia conciliandi rationẽ inuenire, erumpit tandẽ in indignationem & hæc verba. *Ista sunt*, inquit, *quæ me premunt, quæ me angustiant, quæ me insomnem & insanũ reddunt. Vt vera sit interpretatio Promethei, qui dum studet clam surripere ignem Ioui, eum religauit Iupiter in rupe Scythica, in qua corde assiduè pascit vulturem rodentem eius cor. Prometheus verò est Philosophus, qui dum vult scire Dei arcana, perpetuis curis & cogitationibus roditur. Non sitit, non famescit, non dormit, non comedit, non expuit. Ab omnibus ridetur, & tamquam stultus & sacrilegus habetur, ab Inquisitoribus prosequitur* (lege P. Iouium in Elogio Pomponatij, quorsum hæc spectent, facilè intelliges) *sit spectaculum vulgi. Hæc sunt lucra Philosophorum, hæc eorum merces.*

Pompo. nat. lib. 3. c. 7. de fato.

CAPVT II.

Non intellectæ, aut non satis distinctæ Aristotelis & veterum variæ locutiones notitiam libertatis apud quosdam Neotericos obscurarunt.

NIhil adeò libertatis notionem confudit, atque diuersi & quasi contrarij Aristotelis, S. Thomæ Scoti ac Patrum vetustiorum loquendi modi, quibus nunc libertatem ab omni necessitate liberam esse, nunc cum aliqua necessitate consistere posse dicunt.

Idem enim Aristoteles qui alibi ait, *In quibus in nostra potestate situm est agere, situm etiam est non agere, & in quibus non agere, simili modo etiam agere;* alibi postea dicit: *In practicis necesse est, vt anima statim agat. Veluti, si omne dulce gustandum est, hoc autem est dulce, necesse est, vt qui potest & non prohibetur, hoc quoque agat.* Ecce enim primò ait, *In potestate esse, agere & non agere*: postea, *necesse esse agere*, si iudicetur esse agendum.

Arist. lib. 3. c. 7. Ethic. Idem lib. 7. c. 5. Ethic.

S. Tho-

S. Thomas quoque: *Potest homo velle & non velle*, inquit, *agere & non agere, potest etiam velle hoc aut illud, cuius ratio ex ipsa virtute rationis accipitur.* Et tamen paulò pòst addit, oportere eligi *id quod eminet.* Alicubi etiam dicit, *Opinionem esse hæreticam, & tollere rationem meriti ac demeriti in humanis actibus, quæ ponit, quòd voluntas hominis ex necessitate mouetur ad aliquid eligendum, etiamsi non cogatur.* Item alibi: *Ea ad quæ naturaliter inclinamur non subsunt libero arbitrio, sicut dictum est de appetitu beatitudinis.* Nihilominus eodem Artic. ait, *libertatem naturalem esse libertatem à coactione* Et antè ad illud S. Augustini, *Si aliquid est voluntarium, non est necessarium*, Respondet, *Verbum Augustini est intelligendum de necessario necessitate coactionis. Necessitas autem naturalis non aufert libertatem voluntatis, ut ipsemet in eodem libro dicit.* Quomodo autem ista inter se non pugnant, *Ea ad quæ naturaliter inclinamur non subsunt libero arbitrio*, imò *hæretica opinio* est id affirmare; & tamen *necessitas naturalis non aufert libertatem voluntatis?* S. Tho. 1. 2 q. 13. a. 6. S. Tho. q. 6. de malo. Idem 1. p. q. 83. a. 2. Idem 1. p q. 82. a. 1.

Similis perplexitas in Scoto. *Voluntas nostra*, inquit alicubi, *vt prior naturaliter suo actu, ita elicit actum illum, quòd possit in eodem instanti elicere oppositum.* Et tamen aliàs fortiter asserit, *voluntatem semper habere suum modum causandi proprium, scilicet liberè.* Vnde alibi intrepidè docet amorem & fruitionem Beatorum esse liberam, ac Beatos esse peccabiles, *Licet per voluntatem Dei, præuenientem Beatorum voluntatem, vt semper continuet actum fruendi, non possit potentiam suam remotam non-fruendi, vel peccandi reducere ad actum. Siquidem*, inquit, *nunquam causa secunda præuenta à causa superiori agente ad vnum oppositum, potest potentiâ propinquâ exire in aliud oppositum.* Scot. 1. d 39. Scot. quodl. 16. Scot. 4. d. 49. q. 6.

S. Augustinus aliquando ait, *Voluntatis arbitrium huc atque illuc liberum flecti.* Et tamen sæpissimè etiam dicit, omne quod voluntate facimus esse liberũ; adeò vt quod pondere omnium rationum, aut alieno impulsu in alteram tantùm S. Aug. l. 2. c. 18. de pecc. merit.

partem

Idem lib. 1. c. 15 Retract.

partem deflexo facimus, liberum tamen maneat. *Quantum est*, inquit, *quod valet voluntas sub dominante cupiditate?* Hoc est, nihil valet boni. Et tamen, probat liberum esse tale *peccatum quo consentitur concupiscentiæ peccati*, quia *non nisi voluntate committitur*. Quasi vbi adest voluntas, certò adsit & libertas.

Idem lib. 5. c. 9. Ciuit.

Vnde alibi: *Nos adversus istos sacrilegos ausus atque iniquos*, inquit, *& Deum dicimus omnia scire, antequam fiant, & voluntate nos facere, quidquid à nobis non nisi volentibus fieri sentimus & nouimus.*

Ecce iterum quomodo probat, præscientiam Dei non euertere arbitrij libertatem, quia quod præscit Deus nos facturos, id voluntate nostra & à nobis volentibus fiet; quasi vnum idemque sit voluntas & libertas. Vnde apertissimè alibi: *Si liberum non sit, non est voluntas.* Hinc Magistro suo concinens Bernardus: *Homo interueniente peccato patitur quandam vim, sed à voluntate, non à natura; vt ne sic quidem ingenita libertate priuetur. Quod enim voluntarium, & liberum.* Et alibi: *Vbi voluntas, ibi libertas. Et hoc est quod dici puto liberum arbitrium.*

Idem c. 11. de duab. animab.

Ber. ser. 81. Cant.

Idem lib. de lib. arb.

Ibid.

Attamen ipse idem: *Ratio data est voluntati ut instruat illam, non destruat. Destrueret autem, si necessitatem ei vllam imponeret, quo minùs liberè pro arbitrio sese volueret, siue in malum consentiens appetitui, siue ad bonum gratiam sequens.*

S. Ansel. c. 5. de lib. arb.

Idem lib. 1. c. 10. Cur Deus

Denique, ut tot alios omittam, S. Anselmus: *Homo consensum suum non naturaliter, nec ex necessitate, sicut equus, sed ex se apertè videtur habere.* Et tamen *in tractu vel impulsu voluntatis*, negat *euerti libertatem, quoniam voluntate quisque ad id quod indeclinabiliter vult, trahitur vel impellitur.* Quod nulla alia ratione verum esse potest, quàm quia cum Augustino & Bernardo, voluntas est libertas.

Hæ ego & pares SS. Patrum & veterum Philosophorum in speciem antilogicæ & compugnantes sententiæ, libertatis & liberi arbitrij notionen apud posteros mirum in modum conturbauerunt.

CAPVT

Digitized by Google

CAPUT III.

Libertas indifferentiæ seu æquilibrij vnde reperta.

CVm ergo inter has veterum de libertate sententias Peripatetici quidem recentiores concordiam nullam aut difficilem viderent, vnam partem, quæ facilior videbatur amplexi sunt, reliquam, tamquam obscuram & dubij sensus neglexerunt.

Itaque omnem libertatem in quadam indifferentia inter duo opposita consistere dixerunt; nullam verò libertatem superesse, vbi aliqua necessitas, quæcumque illa sit, & determinatio in alteram partem admiscetur.

Vnde illud S. Thomæ, *Homo potest velle & non velle, potest velle hoc aut istud*, libenter retinuerunt; istud verò, *Libertas naturalis est libertas à coactione*, velut tenebrosum, nec satis intelligibile, abjecerunt.

Quod Scotus dixit, *Voluntatem ita elicere actum liberum vt possit eodem instanti elicere oppositum*, satis clarum esse existimauerunt: cùm verò addit, amorem beatificum liberum esse, non obstante determinatione voluntatis ad unum, dixerunt hoc intelligendum de amore non re verâ libero, sed tantùm *secundum aliquem loquendi modum*.

Verùm quia in appetitibus brutorum quandam etiam indifferentiam,& canem nunc hanc escam, nunc illam appetere cernebant, libertatem humanam in peculiari quadam indifferentia, quæ brutis non esset communis, constituere oportuit. Igitur rem tandem eò perduxerunt, vt vera hominis libertas consistat in quadam indifferentia æquilibrij, qua voluntas inter duo suspensa, sit in actu primo tam in vnam partem, quàm in alteram oppositam expedita: adeò vt licet in dextrum latus nutu suo se determinet, æquè in sinistrum vergere potuisset; & cur id non fecerit, non alia est ratio, nisi quia non voluit.

Digitized by Google

Huc etiam quorundam Græcorum Patrum phraſes eos traxerunt. Vt cum quidam aiunt ἐν τῷ κρύπτῳ ἡμῶν ζυγόν τινα εἶναι, *in occulto noſtro ſtateram quandam eſſe*, aut quando liberum arbitrium vocant ἀδιάφορον, ἰσόρροπον, ἐπ' ἄμφω βάδιζον *indifferens, æquilibre, in vtramque partem ambulans*. In hoc ergo differt, inquiunt, voluntas humana ab appetitu brutorum, quòd inter duo iudicia indifferens & pendula, poſsit in hanc aut illam partem omnibus iiſdem poſitis, annuere ac ſe determinare, appetitus verò bruti non poſsit, ſed in illam partem à qua ſtat imaginatio fortior, neceſſariò cadat; aut ſi vtrimque imaginatio ſit æquilibris, in medio hærebit, nec in vnam, nec in alteram partem ſeipſam determinare poterit. Hinc vulgatum illud de aſino Buridani, qui inter duo præſepia plena ambiguus, fame miſer contabeſcit.

S. Baſil.

CAPUT IV.

Æquilibrium voluntatis poteſt eſſe duplex.

ÆQuilibrium tamen voluntatis duplex intelligi poteſt. Vnum quando voluntas pari pondere habituum, aut inclinationum, quę à concupiſcentia, vel hominis complexione oriri poſſunt, æqualiter in oppoſitas partes propendet.

Hoc verò voluntatis æquilibrium rariſsimum eſt. Nam vix aut nunquam accidit, quin à ſuperaddita aliqua inclinatione in vnam, quàm in alteram partem voluntas propenſior ſit. In tali ergo æquilibrio libertatem non conſtituunt: aliàs enim nullus pænè voluntatis actus liber eſſet.

Alterum ergo æquilibrium eſt, quod à duobus aut pluribus iudicijs intellectûs efficitur, quibus oppoſita vtrimque obiecta voluntati oſtenduntur. His enim duobus iudicijs v[illegible] pondera inclinationum

clinationum inæqualia ſint, æqualiter tamen in hanc aut illam partem ſe vertere, inquiunt, poteſt. Prius ergo *æquilibrium inclinationis*, poſterius *æquilibrium iudicij* vocabimus.

Nec tamen ad hoc iudicij æquilibrium neceſſe eſt, vt intellectus vtrumque obiectum æquè bonum eſſe iudicet, quod rariſsimè fit, ſed ſufficit vt vtrumque bonum & appetibile eſſe iudicetur. Per hoc enim voluntas ſatis ſuſpenſa & æquilibris eſſe intelligitur, vt αὐτεξουσίᾳ & poteſtate ſua libera, in vtram libuerit partem, vt ipſi exiſtimant, ſe inclinare poſsit.

In iſto igitur poſteriori iudicij æquilibrio libertatem non tantùm humanam, ſed Angelicam etiam, & diuinam conſtituere nouis Peripateticis placet.

CAPUT V.

Libertas indifferentiæ ſeu æquilibrij repugnat doctrinæ Ariſtotelis, S. Thomæ, Scoti.

Libertas tamen iſta novorum Peripateticorum cum Præceptoris ſui doctrina ex duobus capitibus apertè pugnat.

Primò, quia ad liberum actum voluntatis non eſt neceſſe, vt eodem momento quo voluntas eum elicit, duobus vtrimque iudicijs ſuſpenſa ſit. Secundò licet ſuſpenſa eſſet, neceſſariò tamen ſequitur iudicium de eo quod majus eſt & eminet.

Vtrumque Ariſtoteles diſertè docet. *Conſultabile & eligibile idem eſt*, inquit, *niſi quòd eligibile definitum iam ſit. Nam nihil eſt aliud quàm quod ex deliberatione antè eſt poſitum.* *Ariſt. lib. 3. c. 5. Ethic.*

Definitur autem & quaſi ante oculos voluntatis ponitur illud eligibile, quando omnibus antè perpenſis & deliberatis, vnicò tandem iudicio practico decernitur hoc eſſe faciendum. Hoc enim Euſtratius Ariſtotelis Commentator

explicans, *Quamdiu consultamus*, inquit, *in dubio adhuc res est & indefinita, cùm verò eligimus, statuimus, & definimus quid agendum sit.* Cessant igitur isto electionis momento omnes bilances, trutinæ & examina, quia finita est tota deliberatio, remanetque solùm iudicium vnicum practicum, cuius dictamen in appetendo voluntas sequitur.

Arist. ibid. *Simul enim atque consultauimus*, inquit Philosophorum Princeps, *iudicamus, atque deinde secundùm consultationem appetimus.* Et cum quasi enarrans S. Thomas, S. Tho 1. 2. q. 14. a. 6. *Terminus inquisitionis est id qu[illegible] statim est in potestate nostra vt faciamus. Sicut enim finis habe[illegible]tionem principij, ita id quod agitur propter finem, habet ra[illegible]em conclusionis. Vnde id quod primò agendum occurrit, h[illegible]t rationem vltimæ conclusionis.* Sicuti ergo conclusio vltima syllogismi vnica est, ita iudicium quod claudit & terminat consultationem, non multiplex, sed vnicum esse debet. Quod euidentius adhuc est, vbi voluntas sine consultatione eligit vnicum mediũ, quod manifestè ad finem est vtilius. S. Tho. 1. 2. q. 14. a. 4. *Nam electio*, ait S. Doctor, *præsupponit consiliũ ratione iudicij vel sententiæ. Vnde quando iudicium vel sententia manifesta est absq; inquisitione, non requiritur consilij inquisitio.* Et mox inde, *Ratio in rebus manifestis non inquirit, sed statim iudicat, & ideò non oportet in omnibus quæ ratione aguntur, esse inquisitionem consilij.* Igitur in talibus manifestis, vbi statim de vno medio euidenter vtilissimo vnicum formatur iudicium, voluntas non pluribus iudicijs suspenditur, sed vnico illo, in libero illius medij amore se dirigit.

Scot. 2. d. 5. q. 2. Quod manifestè etiam Subtilis Scotus: *Volitio*, inquit, *quando elicitur à volente non requirit nisi vnam intellectionem, si sit volitio vnica. Intellectionem dico vnicam distinctam, quia plures intellectiones distinctæ simul non possunt esse in intellectu. Et si possent, vna tamen sufficeret ad vnam volitionem eliciendã &c. Ergo deliberatio respiciens plures intellectiones non requiritur ad vnam volitionem.* Et alibi cum Aristotele & S. Thoma negans, opus esse deliberatione & discursu in rebus manifestis,

nifestis, *Facto iudicio*, inquit, *per cognitionem practicam voluntas eligit. Et quando voluntas eligit, ratio practica non discurrit, quia facta couclusione practica sententiat de eligendo. Si ergo sententia vltimata possit haberi sine discursu præcedente, ita perfectè poterit voluntas eligere in instanti, sicut præcedente discursu. Sed perfectus in cognoscendo non discurrit; sicut artifex in citharizando perfectus non discurrit in percutiendo chordas.* *Scot 3. d. 18. q. 1.*

Ex quo patet, deliberationem in rebus obscuris non requiri, vt intellectus præparet voluntati duo iudicia, inter quæ liberum eius arbitrium vacillet & nutet, sed potius vt ad vnicum vltimum perueniatur, cui in eligendo voluntas se conformet. Imò verò implicat contradictionem, plura talia iudicia vltima in eodem intellectu simul consistere, inquit Cardin. Bellarminus; *quia contradicentia sunt, omnibus consideratis hoc est melius, & omnibus consideratis hoc non est melius.* *Bellar. lib. 3. c. 8. de grat. & lib. arbit.*

CAPVT VI.

Etiamsi in instanti electionis voluntas duobus vtrimque iudicijs accincta esset, necessariò tamen semper eligit quod eminet.

HVius enim sententiæ manifestus est Aristoteles. *Deliberatiua*, ait, *inest animalibus rationalibus. Vtrum enim aget hoc an illud, iam rationis est opus:* καὶ ἀνάγκη ἀεὶ ἑνὶ μετρεῖν, τὸ μεῖζον γὰρ διώκει, *& necesse est semper vno metiri: maius enim prosequitur.* Ecce vt dicit, voluntatem prosequi id quod maius iudicio intellectûs apparet, & ideò necesse esse vt intellectus vnâ quâdam communi mensurâ plura metiatur, vt discernere possit id quod est maius, & voluntati illud eligendum proponat. *Arist. lib. 3. c. 11. de anima.*

Eadem S. Thomæ mens aperta, cùm respondens ad obiectionem de duobus medijs æqualibus voluntati propositis, *Ad ter-*

Digitized by Google

S. Tho. 1. 2. q. 13. a. vlt. *Ad tertium dicendum*, inquit, *quòd nihil prohibet, si aliqua duo æqualia proponantur secundùm vnam considerationem, quin circa alterum consideretur aliqua conditio per quam emineat, & magis flectatur voluntas in ipsum, quàm in aliud.* Vbi iterum cernis, voluntatem oportere flecti ab intellectu in vnam partem magis quàm in alteram, ostendente in vno quippiam quo supra alterum emineat, aut pondus in vnam quàm in alteram partem propensius faciat.

Idem ex Neotericis præter alios, Vasquez, negans voluntatem posse eligere id quod minus, aut etiam æquale Vasq. 1. 2. d. 43. c. 2. iudicatum est ab intellectu, sed semper id quod maius. *Iudicium enim consultationis*, inquit, *non potest esse de minori, aut æquali bono; ergo nec electio de minori aut æquali bono esse poterit. Iudicium autem consultationis nunquam esse de æquali aut minori, patet, quia intellectus ex consultatione solùm colligit & iudicat id quod melius est. Neque enim inter æqualia per consultationem concludit hoc esse sequendum, nec inter inæqualia id quod minus est, cùm videt esse minus.*

Quod etiam *ex ipsa electionis definitione patere* ait. *Est enim electio*, inquit, *voluntas eius quod præiudicatum est. Id autem quod minùs vtile est, non est præiudicatum; ergò contra iudicium rationis non potest voluntas minùs vtile eligere.*

Et alibi non de mediorum electione, sed de finium intentione philosophans. Vasq. 1. p. d. 98. c. 7. *Repugnat*, inquit, *vt voluntas in id consentiat quod minùs cogitat & minùs delectat, comparatione eius quod magis delectat & efficaciùs consideratur; sicut de electione minoris boni quod est medium ad finem, ex sententia S. Thomæ dicemus.* S. Aug. Epist. ad Galat. Quod ex hac quoque S. Augustini, *Quod ampliùs nos delectat, secundùm id operemur, necesse est*, & alijs similibus eiusdem S. Doctoris sententijs confirmat.

Bellar. lib. 3. c. 8. d. grat. & lib. arbit. Hoc idem fortiter Bellarminus propugnat. Et respondens ad illud quod aduersarij obiectare solent: quòd minùs vtile sit re verâ vtile, ac proinde sub ratione vtilis possit à voluntate præponi magis vtili: *Voluntas quidem*, inquit, *haberet*

Digitized by Google

haberet rationem, cur eligeret tale medium minùs vtile, quia nimirum est vtile; non tamen haberet rationem vllam, cur omitteret aliud quod hic & nunc & simpliciter est iudicatum melius. Non enim nunc habet nisi vnicum vltimum iudicium, nec potest habere, quia contradicentia sunt, Omnibus consideratis hoc est melius, &, Omnibus consideratis hoc non est melius.

Igitur impossibilia, aut saltem frustrà sunt talia duo iudicia, cùm voluntas non possit nisi vnum sequi, illud videlicet, quo iudicatur aliquid omnibus perpensis esse melius.

Ex quibus patet, opinionem Suarij, qui existimat voluntatem posse eligere æquale, vel etiam minus; & nisi hoc possit, *non videre se*, ait, *quomodo sit libera*, Aristoteli, S. Thomæ, imò S. Augustino manifestè aduersari. *Suar. tom. 1. d. 19. sect. 6. Metaph*

Sed quid si igitur duo prorsus æqualia ab intellectu voluntati proponantur, quid eueniet?

CAPVT VII.

Non tantùm asinus Buridani, sed homo perplexus hærebit, si voluntas eius suspendatur duobus iudicijs practicis, perfectè æqualibus.

FAmosus est in Scholis asinus Buridani, qui inter duo plena præsepia pari interuallo distantia, si vtrumq; simul aspiciat, hærebit perplexus, & fame contabescet. *Ego etiam noui hominem amentem*, ait Medina, *qui propositis duobus pomis in æquali distantia, cruciabatur vt comederet, & non poterat, nisi ab aliō applicaretur potiùs ad vnum quàm ad alterum.* *Med. 1. 2. q. 13. a. 2.*

Sed etiam de homine sani sincipitis & mentis, idem existimant Anaximander & Aristoteles. Dicunt enim, quòd si homo quispiam pari fame ac siti anhelus, inter cibum potumque, æquo vtrimque interuallo medius collocaretur,

Digitized by Google

Arist. lib. 2. c. 13. de Cælo. τὸ τοιοῦτον ἠρεμεῖν ἀναγκαῖον *talem necessariò quiescere*, ac hærere immobilem & perplexum; cùm nulla sit ratio, cur potiùs ad cibũ quàm ad potum, aut contrà pedẽ promoueat. Supponit enim vterq; Philosophus, non tantùm interualli utriusque spatia, sed etiam iudicia duo quibus cibi potusq; appetibilitas voluntati obijcitur, esse vtrimq; omninò paria. Nec est, quòd quisquam eos de asino Buridani, aut animali bruto interpretetur. Nam masculina vox τοιοῦτον id refellit; nec vllum indicium est quod illud exemplum ad bestiam, aut hominem emotæ mentis restringat. Vnde apertè idem S. S. Tho. 1. 2. q. 13. a. 6. Thomas existimat. Nam postquam sibi ex Aristotele illud idem exemplum obiecisset, *Si aliqua duo sint penitus æqualia, non magis mouetur homo ad vnum quam ad aliud: sicut famelicus si habeat cibum æqualiter appetibilem in diuersis partibus & secundum æqualem distantiam, non magis movetur ad vnum quàm ad alierum: ergo si proponantur duo vel tria inter quæ vnum maius apparet, impossibile est aliquod aliorum eligere*, Non respondet, quòd homo ille pro arbitrij sui libertate ad hunc, aut ad illum cibum se vertere posit, sed *Quòd nihil prohibeat si aliqua duo æqualia proponantur secundum vnam considerationem, quin circa alterum consideretur aliqua conditio per quam emineat, & magis flectatur voluntas in ipsum quàm in aliud.* Vnde manifestè significat, quòd si nihil ostendatur quod emineat, sed iudicia vtrimque in perfecto æquilibrio sint suspensa, voluntas quoque pendula & æquilibris semper Medin. ibid. hærebit. Quapropter Medina, *Si intellectus*, inquit, *propoponat voluntati duo æqualia bona, & imperium intellectus sit æquale, sic vt non propendeat magis in vnam partẽ quàm in alteram, nunquã mouebitur voluntas. Et hæc est sententia D. Thomæ in solut. tertij.* Sententiam autem D. Thomæ ad iudicia duo ultima practica, siue imperia intellectûs, æqualia restringit, *Quia si intellectus*, inquit, *proponat voluntati duo æqualia bona, & imperium intellectus sit inæquale, potest voluntas vnum eligere & alterum refutare. Nam jam habet imperium intelle-*

ctûs

ctus, à quo determinatur potiùs ad vnum quàm ad alterum.

Eandem quoque voluntatis perplexitatem & pensile æquilibrium, ex sententia S. Augustini, Vasquij, Bellarmini cap. superiori citatâ, consectaneum esse oportet. Homo tamen sanæ mentis facilius quàm asinus Buridani à nexibus huius perplexitatis se expedit, quia infinitò maior est sphæra humani intellectûs quàm asininæ imaginationis, & innumeras rationes invenire potest, quibus vnum supra reliqua eminere faciat. Et hanc saltem semper paratam habet, Ne voluntas otiosa maneat, aut vt alij dicunt, Vt voluntas suam libertatem ostendat. Quam rationem intellectus in vno tantùm extremo, non in altero considerare potest. Vnde casus ille perplexitatis in homine sani capitis moraliter est impossibilis.

In eadem doctrina fundatur vulgare illud Peripateticorum axioma, *Ab eo quod est ad vtrumlibet non sequitur actio, nisi ab aliquo alio ad effectum determinetur.* Quod in causis etiam liberis locum & veritatem habere Themistius, Auerroes, S. Thomas & alij passim non dubitant. Vnde Peripateticorum sensuum diligens inuestigator P. Pomponatius asserit, Aristotelem & veteres Peripateticos existimasse, *Voluntatem humanam eodem modo se habentem non posse in opposita.* Nec tamen ideo perditam putauit Aristoteles humanam libertatem, imò verò τῶν πράξεων ἀπ' ἀρχῆς μέχρι τέλους κυρίους εἶναι *nos actionum nostrarum à principio vsque ad finem dominos esse* confitetur.

S. Tho. 1. p. q. 19. a. 3.

Pomponat. lib. 5. de fato

Arist. lib. 3. c. 8. Ethic.

CAPUT VIII.

Aristoteles & veteres Peripatetici vnico iudicio practico vltimo voluntatem ad electionem liberam determinari censuerunt.

VOluntas quippe ferri non potest in incognitum. Nec quomodolibet cognosci sufficit, vt ipsa se movere possit. Debet enim iudicari. Nam ideo consultatio instituitur, vt ad iudicium & sententiam intellectûs perueniatur, qua voluntas in appetendo se dirigat. Si enim sola apprehensio intellectûs ad excitandum affectum voluntatis satis esset, *maximam delectationem sibi comparare facillimè quiuis posset*, ait bonus Medina, *quia potest facillimè apprehendere, se esse Archiepiscopum Toletanum, aut Pontificem Summum.*

Medin. 1. 1. q. 9. a. 1.

Sed nec iudicium speculatiuum ad mouendam voluntatem sufficit: *quia intellectus speculatiuus*, ait Aristoteles, *nihil intelligit practicum, neque dicit* περὶ φευκτοῦ καὶ διωκτοῦ *de fugiendo & prosequendo quidquam.* Ac postea: *Sed neque cum speculatur aliquid huiusmodi*, ἤδη κελεύει φεύγειν ἢ διώκειν, *iam iubet fugere aut prosequi. Quemadmodum sæpè intelligit terribile aliquid, non iubet autem timere.*

Arist. lib. 3. c. 9. de anima.

Vbi apertè vides, non satis esse ad terrorem & fugam, vt res aliqua terribilis voluntati proponatur, nisi iussio quædam accedat, quâ fugienda practicè iudicetur & fuga imperetur. *Decretum enim vltimum, Agenda res est*, ait alicubi. Et nonne vniuscuiusque nostrûm experimento satis etiam erit compertum, si oculos mentis in sinum nostrum, & intimos animi motus reflectere velimus?

Arist. lib. 6. c. 8. Ethic.

Hinc est, quòd alicubi Aristoteles τὴν φρόνησιν *prudentiam*, quæ talia iudicia practica tanquam actus proprios elicit, ἐπιτακτικὴν *præceptivam* appellet, τὴν δὲ σύνεσιν κριτικὴν μόνον, *synesin*

Idem lib. 6. c. 11. Ethic.

ſyneſin verò (quam quidam *perſpicaciam* vertunt) *iudicatiuam tantùm*. Vnde ſyneſis ad mouendam voluntatem non ſufficit, etiamſi de rebus agibilibus iudicium ferat. Ideoq; ſyneſin à prudentia diſtinguens S. Thomas, *quia contingit* S. Tho.
quandoque, ait, *quod bene iudicatum eſt, differri, vel negligen-* 2. 2. q.
ter agi aut inordinatè, ideo poſt virtutem ſyneſis, quæ eſt bene 51. a. 3.
iudicatiua, neceſſaria eſt finalis virtus principalis, quæ eſt bene præceptiua, ſcilicet prudentia.

Præceptum autem hoc finale prudentiæ non in genere, ſed in particulari, de hoc hic & nunc faciendo, ferri ab intellectu debet, ὁτὶ φρόνησις τοῦ ἐσχάτου ἐστὶν, τὸ γὰρ πρακτὸν τοιοῦτον, Ariſt.
quia prudentia eſt vltimi, ſingularis & determinati; *tale quip-* lib. 6. c.
pe eſt id in quod actio cadit, ait egregiè Ariſtoteles. 9. Ethic.

Hinc alibi quoque docet, vt voluntas mea appetat, non ſatis eſſe, vt intellectus ei generaliter dictet, hoc viro ſapienti faciendum eſſe, ſed hoc mihi hic & nunc faciendum eſt. *Cùm enim*, inquit, *exiſtimatio alia ſit vniuerſalis, alia* Ariſt.
ſingularis (illa enim dicit, quòd oporteat talem tale agere, hæc lib. 3. et
autem, quòd hoc tale, & ego talis:) iam hæc opinio mouet, non 11. de anima.
ea quæ vniuerſalis. Ecce, vt iudicium illud vniuerſale, *Oportet talem* (v. g. virum ſapientem) *tale agere* (puta, ſobriè viuere) non moueat voluntatem; ſed iſtud ſingulare, *Oportet hoc tale agere, & ego talis:* perſonam ſcilicet & actionem ſingularizando. Quaſi dicat, oportet me qui ſapiens ſum aut eſſe volo, hoc nunc agere.

Et niſi hæc Ariſtotelis doctrina veriſſima ſit, non eſt opus virtute prudentiæ ad dirigendos virtutum moralium actus, ſed ſcientia moralis de virtutibus & vitijs abundè ſufficiet.

Experientia quoque conſentit, ſi quis profundè ſe inſpiciat, & vltimam rationem & iudicium ſuum ſcrutetur, per quod in actionem volendi, tanquam per gradum nouiſſimum, deſcendit. Licet enim iudicia iſta practica humanæ mentis, res lubricæ & fugitiuæ ſint, quæ ante ad-

uertentiam nostram plerumque elabuntur; possunt tamen etiam deprehendi ab eo qui attentè & compressè seipsum introspexerit.

CAPUT IX.

Voluntas necessariò, seu infallibiliter vltimo iudicio practico se conformat.

MVltis locis hoc asserit & disserit Aristoteles, sed duos tresue seligemus.

Arist. lib. 7. c. 3. Ethic. *In practicis*, inquit alicubi, *necesse est vt anima statim agat. Veluti si omne dulce gustandum est, & hoc est dulce; necesse est, vt qui potest & non prohibetur, simul hoc quoque agat.*

Et eum enarrans vetus Scholiastes Aspasius: *In effectiuis*, inquit, *quod concluditur, non dicendum, sed agendum est. Vt* Aspas. *si dicam, Hoc dulce est, omne autem dulce gustare oportet, ergo hoc gustandum est. Quia enim quod concluditur, ex particularibus & agendis est, necesse est vt is qui id colligit, si potest & non impeditur, simul hoc agat & illud dulce degustet.* Et alter eius Interpres Eustratius: *Vbi intellexerimus*, inquit, *agendum id* Eustrat. lib. 3. c. 3. Ethic. *nobis esse quod mens consultauit & elegit, vnà cum ratione appetitio quoque incitatur, ac desinit deliberatio.* Et alicubi antè: *Vbi mens consultans assensione quippiam elegerit, voluntas quæ* Ibid. c. 2. *est appetitio ipsam consequitur, simulque cum ea incitatur.*

Vbi cernis voluntatem simul cum vltimo iudicio practico, ad appetendum excitari; & quidem tam raptim & præcipitanter, vt à minore propositione huius antecedentis, *Omne dulce gustandum est, Hoc autem est dulce*, non exspectato, vt conclusio suo ordine interijciatur; sed vno quasi saltu ad conclusionem, seu iudicium practicum vltimum, ad appetitionem voluntatis, & ad executionem (si executionem eo momento exercendam decretum fuerit) anima decurrat. Hoc enim est quod ait Aspasius, *Quod concluditur non dicen-*

non dicendum, sed agendum est. Siue, cùm contexitur hic syllogismus: *Omne dulce est gustandum, hoc est dulce, ergo hoc est gustandum*, non oportet expectare, vt præcedat tempore ista conclusio syllogistica, *Ergo hoc est gustandum*, sed simul ista tria fiunt, & in vnum quasi συμπέρασμα (quod *complexam conclusionem* poſsis interpretari) conuoluuntur. Vnde Aristoteles antè aiebat, quòd illicò post istam minorem, *Hoc autem est dulce*, non tantùm fieri poſsit, sed *necesse sit vt qui potest & non prohibetur, simul hoc quoque agat*; id est, non solùm iudicet sibi hoc esse gustandum, sed etiam gustare appetat, & ipso facto gustet, nisi quis impedimentum interijciat. Ac eòdem vadit quod alibi ait: In practicis τὴν τελευταίαν πρότασιν κυρίαν τῶν πράξεων εἶναι, *minorem syllogismi propositionem, dominam operationum esse.* Nam statim nullâ interiectâ morâ, à tali minori propositione, tanquam à domina imperante, & iudicium practicum consequentis, & appetitio operationis, & ipsa operatio in idem instans præcipitantur. *Arist. lib. 7. c. 5. Ethic.*

Sed illustri alio loco etiam ostendamus.

Docet syllogismum speculatiuum à practico in hoc distingui, quòd speculatiui conclusio sit finis & clausula vltima totius syllogismi, in syllogismo practico autem post duas præmissas, συμπέρασμα γίνεται πρᾶξις, *conclusio fit operatio.* Quod exemplo probat. *Nam si quis nouerit, quòd omni homini est ambulandum, & ipse sit homo, illicò ambulat. Si autem quòd nulli homini ambulandum est, ipse autem sit homo, illicò quiescit. Et vtrumque facit, nisi ab aliquo prohibeatur, aut cogatur.* *Arist. c. 7. de motu animal.*

Deinde in alio exemplo: *Quo indigeo id mihi faciendum est, tunicâ indigeo, ergo tunica mihi facienda est. Et ea,* inquit, *conclusio (Tunica mihi facienda est) est operatio.*

Vbi acutiſsimus Philosophi dicit, talem syllogismum practicum non stare & finiri in conclusione sua syllogistica, sicut sylligismus speculatiuus, sed vsque ad appetitionem


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

& operationem ipsam illicò decurrere; sic ut operatio ipsa exterior sit vltima pars quasi conclusionis, in qua totus syllogismus practicus tandem conquiescit.

Cùm autem dicit, hoc consequens syllogisticum, *Ergo tunica mihi facienda est*, esse ipsam πρᾶξιν *operationem*, intelligit causaliter, vt omnes Interpretes consentiunt: quia nempe illud consequens determinat sine mora & infallibiliter voluntatem ad appetendum operationem, & mediante appetitione, ad eam exercendam, si operatio iam iam exercenda decernatur. Apertè enim ait, ὄρεξιν τὴν ἐσχάτην αἰτίαν τοῦ κινεῖσθαι εἶναι, *appetitionem esse vltimam causam motûs*, siue à qua vltimò & proximè motus progressiuus animalium aut operatio externa imperatur.

Igitur ex doctrina Philosophi, consequens syllogismi practici mentalis, & appetitio, & externa operatio in vnum συμπέρασμα, siue *complexam conclusionem* conuoluuntur, cuius extrema pars est externa operatio, totius syllogismi practici agmen claudens. Et hoc sanè ideo, quia licet consequens syllogismi, siue iudicium vltimum practicum causalitate antecedat appetitionem, & appetitio externam operationem, in idem tamen temporis momentum coincidunt; iudicium quidem practicum & appetitio semper, operatio verò externa interdum solùm, quando scilicet non vt differenda in aliud tempus appetitur.

Ratio verò, cur appetitio necessariò seu infallibiliter iudicium practicum sequatur, est, quia eadem est anima quæ per intellectum hoc sibi faciendum iudicat, & quæ per voluntatem facit, siue appetit. Imò fortasse intellectus & voluntas non sunt potentiæ ab anima aut inter se distinctæ, adeò *vt voluntas sit intellectus extensus ad habendum aut faciendum quod cognoscit*, vt Scaliger loquitur. Vel vt apertiùs Marsilius, *Anima hominis in quantum cognoscit sine organo corporeo vocatur intellectus; in quantum autem cum illa cognitione nata est appetere, vocatur voluntas.*

Iul. Scalig. Exer. 307. Marsil. 2. q. 16. a. 3.

Hinc

Hinc ergo, cùm anima per iudicium intellectûs faciendum, aut appetendum aliquid sibi imperat, illicò necessariò paret, quia non alteri imperat cuius voluntatem in sua potestate non habeat, sed sibi ipsi. Quod est apertissimum Philosophi dogma: *In practicis* ἀνάγκη *necesse est vt anima statim agat. Veluti, si omne gustandum &c.* vt initio huius Cap. recensuimus. *Arist. lib. 7. c. 5. Ethic.*

Quod totis ingenij & multorum argumentorum viribus approbat quoque Card. Bellarminus. *Voluntas*, inquit, *necessariò eligit id quod vltimum iudicium practicum determinauit esse eligendum. Nam voluntas non potest aliquid velle sine praecedenti iudicio rationis: ergo si iudicium sit indeterminatum, & ipsa erit indeterminata; si iudicium determinatum sit, & ipsa determinata erit. At iudicium vltimum practicum est omninò determinatum.* Probat vlterius: *Nam si cùm iudicium est planè determinatum ad vnum, voluntas possit aliud eligere, aut illud non eligere; nulla reddi poterit ratio, cur voluntas elegerit aliud non iudicatum, aut aliud iam iudicatum non elegerit: atque ita dabitur electio sine iudicio, & actio sine obiecto, quod fieri non potest.* *Bellar. lib. 3. c. 8. de grat. & lib. arb.*

Vnde censet Suarij & nouorum Peripateticorum opinionem esse impossibilem. Et profectò si res pressè & attentè cogitetur, ratio Bellarmini est demonstratiua. Nam vnicum est iudicium vltimum practicum dictans, hoc omnibus consideratis esse faciendum. Non potest ergo voluntas eo momento eligere aliud de quo intellectus nihil iudicat. Sed nec etiam cessare liberè ab huius iudicati electione, quia libera cessatio & suspensio actûs, vt postea à nobis etiam probabitur, sine aliqua ratione & praecedenti iudicio fieri non potest.

Confirmat deinde exemplo amoris beatifici. *Voluntas enim Beatorum*, inquit, *etiam quoad exercitium determinata est ad vnum quoad appetitum vltimi finis, quia rationis iudicium repraesentans illum finem tantùm sub ratione boni, semper est praesens,*

Digitized by Google

præsens, & perfectè applicatum mentibus Beatorum: ergo à simili, in quacumque re particulari eligenda, voluntas erit determinata ad vnum quoad specificationem & quoad exercitium, & re ipsa necessariò eliget, quando aderit præsens iudicium practicum particulare, dictans hic & nunc absolutè omnibus consideratis, hoc est eligendum. Nam tale iudicium repræsentat rem tantùm sub ratione boni pro eo tempore, vt est præsens & perfectè applicatum.

Quæ demonstratio iterum in eo fundatur, quòd voluntas assistente sibi vnico iudicio practico vltimo, non habet eo momento, quò aliò se vertere possit, nec etiam liberè suspendere actum valeat, quia ad talem suspensionem aliqua ratione motiua (quæ tunc abest) est opus.

CAPUT X.

Quare anima in appetendo indiget iudicio practico, quo iudicet, sibi persuadeat &, imperet, hoc esse faciendum.

HAnc in primis esse naturam voluntatis asserere possumus, quia quisquis in fundum animæ suæ regreditur, inuenit se tale iudicium elicuisse antequam aliquid appetierit.

Patet id manifestè, quando objectum aliquod ab intellectu apprehenditur & iudicatur bonum, sed tamen voluntas adhuc suspensa manet & vacillat, donec intellectus ad iudicium vltimò practicum de hoc appetendo, aut faciendo descenderit, & se voluntati eò vsque ducem præbuerit. Vnde si talis suspensus & vacillans rogetur, cur illud bonum non appetierit, respondebit, quia id mihi faciendum nondum iudicaui. Vnde nobiscum Bellarminus: *Nemo est*, inquit, *qui, si quæratur ab eo, cur aliquid agat, non respondeat, quia iudicat ita esse faciendum.*

Bella. lib. 2. c. 8. de grat. & lib. arb.

Deinde

Deinde nisi ad eligendum & appetendum, iudicio pra-ctico tali est opus, non est necesse consultationem aliquo iudicio & sententiâ terminare, sed voluntas durante adhuc consultationis æstu, poterit ante sententiam intelle-ctûs eligere: quod Aristoteli, & omnibus veterum sapientium Scholis repugnat.

Tertiò, Non opus erit prudentiâ ad virtutum moralium regimen, sed sufficiet scientia moralis, per quam de honestate virtutum & de turpitudine vitiorum iudicamus. Vnde re verâ sententia nouorum Peripateticorum virtutem prudentiæ cœtu virtutum cardinalium expungit, & iustitiam, fortitudinem, temperantiam aurigâ suo destituit. Prudentiæ enim officium est ἐπιτάττειν *præcipere*, quod facit, non hærendo in vniuersali, aut iudicando hoc etiam singulare esse bonum, sed iudicando hoc in particulari hic & nunc esse à me faciendum. Debet enim λέγειν τὶ περὶ φευκτοῦ ἢ διωκτοῦ, *dicere aliquid de fugiendo, aut prosequendo*, inquit Aristoteles. Quod explicat deinde per κελεύειν φεύγειν ἢ διώκειν, *iubere fugam aut prosecutionem*. Hoc autem nec Ethica, nec vlla alia scientia facit. Nam vt ipse alibi, Τὸ ἐπιστημονικὸν οὐ κινεῖ, ἀλλὰ μένει, *scientificum non mouet, sed manet.* *Arist. lib. 3. c. 9. de anima.* *Arist. lib. 3. c. 11. de anima.*

Quartò, conditio & excellentia naturalis animæ rationalis postulat, vt seipsam mouere per voluntatē non posit, nisi prudentiâ quadam aut spiritûs aut carnis præeunte, quæ sibi ipsi per intellectum dictet hoc esse faciendum, aut omittendum. Nec impotentia ad se aliter mouendum, ex imperfectione, sed potiùs ex perfectione eius prouenit. Vnde nec Angelica, nec diuina voluntas aliter quàm prudentiâ ante ipsam gradiente, se mouet. Plurima enim sunt non tantùm apparentia, sed etiam verè bona, quæ appetere non expedit. Vnde meritò naturalis prouidentia & circumspectio, ut sic dicam, cæcæ voluntatis flagitat, non amare aliquid, etiamsi intellectus bonum illud esse ei denunciet

Digitized by Google

nunciet, nisi per iudicium prudentiæ, aut quasi prudentiæ, amandum etiam esse intimetur. Quod etiam in appetitu brutorum, suo modo licet imperfectiori, verum habere S. Thomas existimat. *Iudicat enim*, inquit, *ouis videns lupum, eum esse fugiendum* (non tantùm esse nociuum) *naturali iudicio & non libero, quia non ex collatione, sed ex naturali instinctu hoc iudicat.*

S. Tho 1.p.q.83. a.1.

Eandem doctrinam experientiâ firmat Medina: quia sunt *quàmplurimi homines qui rectè consulunt, & rectissimè iudicant quid facto opus sit, & tamen difficultate rei perterriti non imperant operis executionẽ.* Deinde *licet Prælatus iudicet aliquid esse conuenientissimum, & quidem iudicio certissimo, nondum præceptum est, cui ego tenear obedire.*

Medin. 1.2.q. 17.a.1.

Inde est, addit, quòd *cum Aristotele vniuersi alij Philosophi in hoc constituant & definiant omnem virtutem in eo esse positam, vt voluntas obediat rationi.* Imperare enim, *Auctore Aristotele, est intellectûs, in quo residet prudentia, quæ imperantis in nobis locum obtinet. Nam eadem ratione qua Senator consilijs Remp. regit, prudentia in nobis tum sibi tum alijs modum agendi præscribit ac præcipit.*

Peccant ergo in Philosophiam moralem noui Peripatetici, cum aiunt *sufficere ad electionem illud iudicium quo medium hoc indicatur vtile, & pensatis omnibus, aptum vt eligi possit. Et idem est*, addit Suarez, *de quolibet obiecto, quòd scilicet iudicetur sufficienter bonum, vt amari possit.* Et probat similitudine. *Nam sicut, vt visus*, inquit, *ferri possit in obiectum, non est necesse quòd applicetur vt visum, aut vt videndum, sed vt visibile; ita vt voluntas moueatur ab obiecto, satis est quòd proponatur vt diligibile, quamuis non iudicetur omnino diligendum.*

Suar. tom.1.d. 19.sect. 6.Metaph.

Veruntamen tota hæc doctrina in Aristotelis Lyceo falsa, vt etiam ex superiori cap. VIII. intelligere licet, & virtuti prudentiæ iniuriosa est. Nec exemplum visûs est ad rem. Nam simili argumento probaretur, voluntatem cæcam non indigere duce, quia visus non indiget. Sicut ergo anima

animā non ſe ad volendum mouet, niſi præeunte iudicio intellectûs, quia voluntas eius cæca eſt; ita quia naturaliter, vt ſicut dicam, prudens eſt, non ſe mouet, niſi idem intellectus iudicio practico vltimo tanquam conſiliarius ei dicat, hoc faciendum eſſe.

Nec tamen neceſſe eſt, vt hoc iudicium intellectûs ſuper actum à voluntate eliciendum ſemper expreſsè cadat, dicatque intellectus voluntati, Huius actionis appetitio à te elici debet. Sed ſufficit actionem externam à voluntate imperandam directè intueri, & eam ſuadere, dicendo, ambula, ſcribe, aut ambulandum eſt, ſcribendum eſt &c. Modò enim anima ſub potentiâ voluntatis deliteſcens, hoc per iudicium practicum cognoſcat, ſatis à naturâ ſuâ docta & inſtructa eſt, vt naturali & neceſſario medio ad illam actionem externam imperandum vtatur: quod medium, eſt actus per voluntatem elicitus, quo anima ambulationem aut ſcriptionem appetit & imperat.

CAPVT XI.

Quidnam ſit imperium quod Ariſtoteles & Philoſophi morales vltimo iudicio practico attribuunt.

Sed quid Gerundium iſtud, *faciendum*, ſignificat, inquiunt, vbi intellectus voluntati, hoc aut illud faciendum eſſe dictat? Videtur enim neceſsitatem aliquam ſignificare, ac proinde tale iudicium practicum, falſum eſſe; cùm non ſit neceſſarium, ſed contingens, hominem ambulare, quando intellectus ambulandum eſſe dictat.

Sed dicant mihi priùs, quid apud Ariſtotelem in lingua Græca, βαδιστέον & ποιητέον ſignificent, cùm ait, βαδιστέον ἀνθρώπῳ *ambulandū eſt homini*, & Τὸ ἱμάτιον ποιητέον *tunica facienda eſt*; dicam & ego, quam vim in Latina & quauis lingua ſimilia Gerundia habeant. Omnes enim nationes ſimili phraſi loquuntur, etiamſi nullā in talibus actionibus neceſ- *Ariſt. c. 7. de motu animal.*

 ſitatem

ſitatem ſe pati exiſtiment. Non ergo Gerundium iſtud, *faciendum*, aliud ſignificat, quàm actionem futuram cum certo quodam imperio, quale S. Thomas & omnes Philoſophi morales prudentiæ attribuunt. Vnde idem iudicium practicum cum ſuo imperio, clariùs in modo imperatiuo per iſtam orationem, *fac hoc*, quàm in indicatiuo addito ex parte prædicati Gerundio, *Hoc tibi eſt faciendum*, exprimitur. In illa quippe oratione, *fac hoc*, nulla neceſsitatis ſignificatio apparet, quam primo aſpectu ingerere videtur Gerundium. Imò etiamſi Gerundium neceſsitatem ſignificaret, niſi ſic explicetur, vt imperium etiam inuoluat, quod in hac oratione imperatiua relucet, *fac hoc*, non eſt idoneum vt vim iudicij vltimi practici & imperantis exprimat. Vnde quia imperium iſtud in oratione Gerundiua indicatiui modi non ſatis epparet, S. Thomas negat eam ad iudicij illius vltimi ſignificationem ſufficere.

S. Tho. 1. 2. q. 17. a. 1. *Ratio enim poteſt*, inquit, *intimare aliquid vel denunciare dupliciter. Vno modo abſolutè. Quæ quidem intimatio exprimitur per verbum indicatiui modi: ſicut ſi quis alicui dicat, Hoc eſt tibi faciendum. Aliquando autem ratio intimat aliquid alicui mouendo ipſum ad hoc. Et talis intimatio exprimitur per verbum imperatiui modi: puta cùm alicui dicitur, fac hoc.* Et hanc ſolam vltimam intimationem ſufficere & neceſſariam eſſe exiſtimat ad iudicium practicum quo voluntas proximè mouetur ad appetendum. Vnde quando iſta oratione, *Hoc eſt tibi faciendum*, dicitur exprimi iudicium vltimum practicum, Gerundium, *faciendum*, imperium, non neceſsitatem ſignificare debet. Aut ſi neceſsitatem etiam admiſceri velint, debet ſolùm intelligi neceſsitas, quæ ſit debitum quoddam conuenientiæ medij ad talem finem. Vt iſta oratio, *Hoc eſt tibi faciendum*, habeat hunc aut ſimilem ſenſum, Vt prudenter, aut conuenienter opereris, debes hoc facere. Et quia non tantùm hoc ſingulare ſed plura alia media poſſunt eſſe vtilia ad eundem prudenter operandi finem, ideo verbum,

debet

debet, non debitum ſtrictum,& ad hoc ſingulare reſtrictum, ſed debitum laxius & ſolius conuenientiæ ſignificat. Interrogetur enim omnis homo rationis compos ruſticus,aut vrbanus, quid mente concipiat, cùm ſibi imperans dicit, *Hoc eſt mihi faciendum*, vel, *Debeo hoc facere;* nullam maiorem neceſsitatem, aut ſtrictius debitum quàm conuenientiæ ſe intelligere dicet, quoties per varia media prudenter operari poterit. Propter tamen ſalebras in quibus Philoſophi hîc hærent, aliqua addere oportet. Quidam enim in primis aiunt, *intelligi non poſſe in intellectu actus impulſiuus voluntatis, niſi per modum iudicij; & quidquid aliud fingitur, & gratis aſſeritur & explicari non poteſt, quid ſit, & eſt extra rationem intellectus, qui eſſentialiter & adæquatè eſt potentia cognoſcitiua & iudicatiua, & ideo non poteſt habere actum, niſi per modum apprehenſionis, vel iudicij.* Suar. tom. 1. d. 19. ſect. 6. Metaph.

Reſpondet Medina, Quòd *imperium nec ſit notitia apprehenſiua, nec iudicatiua, ſed imperatiua. Multi enim actus*, inquit, *inueniuntur in intellectu, qui nec ſunt apprehenſiui, nec iudicatiui. Huiuſmodi ſunt oratio, promiſsio. Vel dicatur*, ait, *quòd imperium reducatur ad iudicium. Eſt enim veluti concluſio, & velut iudicij vltima ſententia.* Medin. 1. 2. q. 17. a. 1.

Quod poſterius magis placet. Imperium enim iſtud intellectiuum, eſt re verâ iudicium quoddam & aſſenſus intellectûs, qui modo tendendi in obiectum ſuum, ab aſſenſu ſpeculatiuo eſſentialiter differt. Licet enim iſta oratio, *Fac hoc*, non ſit expreſsè enunciatiua, implicitè tamen æquiualet huic, *Impero vt hoc facias.* Nam ſicut nuda apprehenſio connexionis inter extrema propoſitionis, ita conſiderat eam, vt nondum exiſtere iudicet; iudicium verò ſpeculatiuum addit vlteriùs, illam connexionem re verâ ibi exiſtere, dicendo, *Hoc eſt iſtud*: ita iudicium vltimò practicum dicit non tantùm, *Hoc ita eſſe*, ſed addito imperio, quo hoc executioni mandari præcipit. Nam ideo Ariſtoteles prudentiam ἐπιτακτικὴν *præceptiuam* appellat. Quod explicans Ariſt. lib 6. c. 11. Ethic.

Digitized by Google

S. Tho. 2. 2 q. 47 a. 8. S. Thomas, ait inter tres actus prudentiæ; quorum primus est *consiliari*, secundus *iudicare de inuentis*, tertius *præcipere*; hunc vltimum, *qui consistit in applicatione consiliatorum & iudicatorum ad operandum*, esse principalem, *quia est propinquior fini rationis practicæ*, siue praxi ipsi, ad quam ratio practica seu prudentia tanquam ad finem ordinatur. Vnde qui negant in iudicio practico imperium quoddam includi, destruunt principalem prudentiæ actum, qui est imperare sive præcipere; & proinde propriam φρονήσεως *prudentiæ* virtutem, prout ab εὐβουλίᾳ consiliatrice, & συνέσει iudicatrice distinguitur, è cœtu virtutum moralium, contra Aristotelis & omnium sapientum sententiam, exterminant. Licet aut non facilè sit explicare rationem imperij quod prudentia in voluntatem exercet, negare tamen non oportet, quia in omnibus fermè intellectûs & voluntatis nostræ actibus hoc vsu venit, vt magis existentiam eorum experientiâ percipiamus, quàm essentiam ratione penetremus. Nam intellectum longè aliter affici in nuda apprehensione alicuius obiecti complexi, quàm in assensu eiusdem, apertè sentimus: sed essentias illorum actuum non aliter distinguere possumus, quàm dicendo & confusè balbutiendo, aliam esse tendentiam qua vnus, & qua alter in idem prorsus obiectum incurrit. Propter quas diversas tendentias, vna cognitio apprehensiua, altera adhæsiua, à quibusdam appellari solet. *Occam. Gabriel &c. q. 1. Prolog.*

Simili modo in actibus voluntatis, primam & simplicem boni complacentiã à prosecutione efficaci, per diuersas, & in confusa nebula cognitas tendentias distinguere solemus. Apprehensio enim intellectûs similis est simplici complacentiæ voluntatis, & iudicium prosecutioni. Vt enim præclarè Aristoteles, ὅπερ ἐν διανοίᾳ κατάφασις καὶ ἀπόφασις, τοῦτ᾽ ἐν ὀρέξει δίωξις καὶ φυγή, *Quod in intellectu affirmatio & negatio, hoc in appetitu est prosecutio & fuga.* *Arist. lib. 6. c. 2. Ethic.*

Qua egregia Philosophi sententia longè refelluntur quidam

quidam noui Peripatetici, qui iudicium, siue assensum intellectûs, ab apprehensione copulæ inter extrema propositionis, non distinguunt, varietatem operationum intellectûs confundentes, & nobilissimam capacissimamque animæ facultatem ad angustias paucorum actuum redigentes. Sicut enim simplex complacentia boni in voluntate, longè distat ab eiusdem efficaci prosecutione, ita in intellectu, nuda apprehensio veri ab eius affirmatione.

Pari igitur modo, imperium practicum intellectûs, per tendentiam aliam, confusè solùm nobis cognitam, à iudicio speculatiuo eiusdē obiecti distinguere possumus. Quia enim tam abditarum rerum conceptus proprios, quibus eas in se intueamur, in hac vita mortali non habemus, tantùm hoc dicere possumus: Quòd sicut apprehensio in iudicio speculatiuo virtualiter saltem, & altiori quodam modo continetur, ita iudicium in imperio practico. Iudicium autem speculatiuum vocant Aristoteles & S. Thomas illud omne quod in se imperium non inuoluit, licet aliàs supra rem practicam cadat. Vnde iudicium, quod finitâ consultatione de medio vno inuento & eligendo elicitur, adhuc *ad rationem speculatiuam* & synesin pertinet, vt docet S. Thomas. *Sed practica ratio*, inquit, *quæ ordinatur ad opus*, *procedit vlteriùs*. Quòusq; autem? Nempe vsque ad imperium & ἐπίταξιν *præceptum*, quo φρόνησις *prudentia* propriè dicta voluntatem vltimò tandem & proximè mouet, si omnia ex parte potentiæ ei adsint quæ habere debet. Nam *electiones sunt in nobis*, *supposito tamen diuino auxilio*, ait S. Thomas. Vnde patet, cur tale imperium *iudicium vltimum practicum* appelletur; nempe, vt à superiori iudicio synesis distinguatur, quod etiam practicum à quibusdam vocatur, quia de re practica fertur, sed *absolutè*, vt loquitur S. Thomas, non *mouendo ad hoc*, nec dicendo, *fac hoc*.

S. Thom. 2.2. q. 47. a. 8.

Idem 1. p. q. 83. a. 1.

Idem 1. 2. q. 17. a. 1.

Arist. c. 7. de motu animal.

Hinc in isto syllogismo Aristotelico, Quo indigeo, hoc mihi est faciendum, Tunica indigeo, Ergo tunica mihi est facienda:

Digitized by Google

facienda: ista conclusio adhuc censetur pertinere ad σύνεσιν κριτικὴν *synesin iudicatiuam* & speculatiuam, aut saltem ad rationem practicam non vltimam, nondum autem ad φρόνησιν ἐπιτακτικὴν, *prudentiam præceptiuam:* quæ descendit vlteriùs, & dicit, Ergo tunicam fac. Quod est iudicium vltimò practicum, iudicium scilicet imperium simul inuoluens. Licet, vt antea monui, tales conclusiones, Tunica mihi est facienda, soleant sæpe sic accipi, vt imperium etiam inuoluant, & dicant implicitè, *fac hoc*.

Suar. tomo. 1. d. 19. sect. 6. Metaph. Ex his quæ disseruimus patet, non vndique verum esse quod quidam assumunt, *Modum mouendi per imperium tale, alienum esse à munere intellectûs, quod est illuminare, & dirigere ac regulare voluntatis operationes. Tum denique quia ille mouendi modus, est proprius voluntatis, quæ in hunc finem peculiariter data est, vt alias potentias efficienter moueat quoad exercitium.*

S. Tho. 2.2.q. 47.a.8. d. 3. Quod argumentum olim sibi etiam obiecit S. Thomas, & respondet solùm, *Mouere absolutè pertinet ad voluntatem: sed præcipere importat motionem cum quadam ordinatione, & ideo est actus rationis.*

Motus ergo & imperium intellectûs mixtum est iudicio repræsentante rem factibilem, quam faciendam voluntati proponit, & fieri simul imperat. Vnde etiam intellectus dicitur mouere voluntatem ex parte obiecti, quia motio primùm incipit à repræsentatione, qua intellectus cæcæ voluntati obiectum amabile proponit; sed deinde tamen in motionem ex parte subiecti etiam redundat, suadendo voluntati, vt seipsam ex parte potentiæ, & subiecti moueat. Mouet enim intellectus voluntatem vt consiliarius, qui rem agendam domino suo proponit, & simul suadet vt faciat, & quantum potest, impellit. Hoc est, anima vbi per iudicium practicum intellectûs rem appetendam cognouit, & vt appetat, sibi ipsi imperauit, etiam per voluntatem ad appetendam infallibili consequentiâ seipsam ex parte subiecti mouet.

CAPUT

CAPUT XII.

In Deo quoque admittendum aliquod iudicium vltimum practicum, quo voluntatem suam dirigit & determinat.

CVm Deus sit ipsa sapientia & prudentia, dubium non est, quin sapientissimè & prudentissimè, in omni operatione voluntatem suam dirigat.

Si igitur *fecit cælos in intellectu*, & prout diuina sapientia Psal. prudentiaque ei dictauit, habuit iudicium prudentiæ, non 135. tantùm de sidere aliquo in genere, sed de hoc singulari sidere creando, ὅτι φρόνησις τοῦ ἐσχάτου ἐστὶν, τὸ γὰρ πρακτὸν Arist. lib τοιοῦτον, *quia prudentia est vltimi*, singularis & determinati: 6. c. 9. Ethic. *tale enim est illud quod faciendum est.* Iudicat ergo diuina prudentia de ista indiuidua actione & indiuiduo eius termino, quam omnipotentia executioni mandat.

Fallitur ergo qui iudicium illud vltimum practicum prudentiæ ideo negat in libero Angeli & hominis operatione intervenire, quia in Deo inueniri non potest. Inuenitur enim etiam in Deo; aut dic, si audes, infinitam eius sapientiam prudentiamque sine prudentia Mundum creasse & quotidie operari.

Sed non potuit diuinus intellectus vero iudicio, inquiunt, iudicare hos cælos esse creandos, *quia inter hos cælos, & alios* Suar. to. *omnino æquales* nullum est discrimen; *neque ex parte Dei est* 1. d. 19. *aliqua ratio, quâ possit fundari tale iudicium quod sit verum.* sect. 6. Metaph.

Sed Gerundia ista, *creandum*, *faciendum &c.* imperium potiùs quàm necessitatem significant, ut Cap. superiori dictum fuit. Deinde si aliqua ibi significetur necessitas, non stricta, sed conuenientiæ tantùm necessitas erit.

Quis scit etiam, an differentiæ cælorum indiuiduantes, vt quidam imaginantur, heterogeneæ non sint, & distin-

ctionem numericam sic fundent, vt etiam diuersas proprietates saltem numericas postulent? Sic enim fortasse Deus maiorem in vno indiuiduo, quàm in altero conuenientiam, ad Mundi fabricam potuerit reperire.

Præterea, sit sanè in vtroque cælo, in vtroque sole indiuiduo, quantum ad speciem & differentiam indiuiduantem ac omnes singulares proprietates, omnimoda paritas, (quod ego verum esse existimo;) potuit tamen diuinus intellectus iudicare, hunc solem potiùs quàm istum creandum esse, propter rationes extrinsecas nobis prorsus incognitas, sicut in multis alijs Dei operibus fateri nos oportet. Vt in illo tam celebri exemplo, cur Deus hunc, & non istum, in pari vtriusque causa, ex massa damnationis eripiat.

S. Aug. lib. 4. c. 6. ad Bonif. Rom. 9. Rom. 11 *Quare istos homines oues facit, & istos non facit, apud quem non est acceptio personarum*, inquit S. Augustinus, *ipsa est quæstio, quam B. Apostolus curiosiùs quàm capaciùs proponentibus ait, O homo tu quis es vt respondeas Deo? Ipsa est quæstio quæ ad illam pertinet altitudinem, quam perspicere volens idem Apostolus, quodammodo expauit, & exclamauit, O altitudo diuitiarum &c.* Et post Magistros suos Paulum & Augustinum S. Fulg. lib. 1. c. 13. de verit. prædest. B. Fulgentius: *Sciamus imperscrutabile nobis esse*, ait, *cur vno derelicto alterum Deus ab illa perditionis massa gratis eripiat.* Et paulò pòst: *Re verâ frustrà labor superfluæ curiositatis impenditur, vbi nulla inuentionis copia suffragatur, & noxia curiositas in reatum protinus labitur, quando modum suum humana infirmitas non metitur. Quin potiùs in hoc profundissimo diuinæ voluntatis arcano, nihil aliud saluti nostræ congruere nouerimus,* Psal. 138. *nisi vt cum Dauide vnusquisque nostrûm humiliter dicat, Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, nec potero ad eam. Cum Beato quoque Paulo religiosi clamoris iungamus effe-* Rom. 11 *ctum, qui ait, O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!*

Quæ omnia euidenter supponunt, in talibus Dei decretis, non fuisse meram pro ratione voluntatem, sed diuinum intellectum rationes profundissimas habuisse, cur hoc

potiùs

potiùs quàm istud voluntati appetendum & faciendum proposuerit. Aliàs enim si *illa prælectio solùm sit ex determinatione libera & mera diuinæ voluntatis*, quæ ibi *altitudo*, quæ *scientia mirabilis* esse potest? *Suar. ibid.*

Sic igitur, cur Dei intellectus hunc potiùs solem, quàm alium possibilem, creandum existimauerit, ratio aliqua fuit, sed abdita nobis & incomprehensibilis.

Denique, hæc semper ratio extrinseca ad Dei voluntatem ad hunc indiuiduum solem determinandam sufficiet, *Inconueniens est voluntatem ad agendum resolutam, inter plura indiuidua producenda pendulam hærere.* Hanc enim actionem se determinandi prudentia vni potiùs indiuiduo, quàm alteri applicabit, iudicabitque tandem practicè & vltimò, Hunc indiuiduum solem producendum esse. Nam re verâ nos saltem experimur, quòd quando inter plura indiuidua dubitando fluctuauimus, & ad vnum determinamur, formemus iudicium practicum, non tantùm generale aut disiunctiuum, Hoc vel illud faciendum esse, sed, Hoc determinatè, ad quod manum extendimus. Facimus enim determinatè quod per prudentiam faciendum esse omnibus perpensis iudicamus. Prudentia autem non tantùm in vniuersali, & quasi è longinquo bonũ amabile voluntati ostendit, sed vsque ad vltimum quod opere exequendum est, ducem se præbet, & digito quasi tangit. Ideo enim Τὴν φρόνησιν τοῦ ἐσχάτου εἶναι, *prudentiam vltimi esse* pronuntiat Philosophus. *Arist. lib 6. c. 9. Ethic.*

Vt exempli causâ, *In cœna dubia, vbi tu dubitas*, vt ait Comicus, *quid potissimùm sumas*, quia omnia fercula æquè opipara, & gula conuiuæ æqualiter vniuersis imminet; non tantùm iudicamus disiunctiuè, ab hoc vel isto ferculo incipiendum esse, sed ab hoc determinatè, ad quod primò manum porrigimus. Iudicamus enim id quod agimus. Vnde si quis interrogetur, Cur ad hoc ferculum primò manum porrexerit, dicet opinor: Quia sic iudicaui, ne instar *Terent. in Phorm.*

 asini

Digitized by Google

asini Buridani, inter has patinarum strues fame emoreret.

Si autem hoc vltimum iudicium practicum liberum sit, & ab intellectu eliciatur per applicationem voluntatis, nihil refert; quia in omni sententia, retrocedendo sursum, ad vnum tandem primum iudicium intellectûs appellere oportet, quod necessarium sit & omnem actionem liberæ voluntatis antecedat. Aliàs enim esset progressus in infinitum, si ante quodlibet iudicium intellectûs aliqua libera voluntas, & ante quamlibet voluntatem aliquod iudicium intellectûs præcurrat.

CAPUT XIII.

Iudicium practicum vltimum non euertit libertatem voluntatis.

PRræcipua ratio, cur recentiores Peripatetici iudicium illud practicum sic refellant, est metus euersionis libertatis, si tale iudicium debeat præcedere quemlibet motum voluntatis. Et adiuuerunt hanc eorum ab Aristotele & S. Thoma defectionem quidam Thomistæ & Bellarminus, qui iudicij practici determinationem cum libertate conciliare conati, difficultati videntur succubuisse. Et sanè non bellè factum ab illis Thomistis, quòd in iudicij practici & libertatis concordiâ difficiles semitas quæsierint, cùm potiùs regiâ prædeterminationis suæ viâ pergere debuissent. Si enim prædeterminatio physica causæ primæ libertatem humanæ voluntatis non euertit, nescio cur à iudicio practico tantum periculum sit. Nam iudicium istud longè molliùs flexibilitatem voluntatis determinare videtur, quàm prædeterminatio Dei omnipotentis, qui tam *indeclinabiliter & insuperabiliter*, vt S. Augustini verbis vtar, prædeterminat & impellit.

Bellar. lib. 3. c. 9. de grat. & lib. arb.

Vnica.

Vnica verò cauſa, cur noui Peripatetici iudicium vltimum practicum cum libertate conciliare non poſsint, eſt, quia eſſentiam libertatis in quodam alio ponunt, quod nec Ariſtoteli, nec S. Thomæ vnquam in mentem venit. Nempe, in quodam æquilibrio, quo voluntas duobus iudicijs intellectûs æqualibus, vel inæqualibus ſuſpenſa, in hanc, aut illam partem indifferenter ſe vertere poſsit. *Quòd ſi enim hoc non poteſt*, inquit Suarez, *non video quomodo poſsit dici libera.* Suar. tom. 1. d. 19. ſect. 6. Metaph.

Attamen & libera eſt, & nihilominus in eam ſolùm partem ſe inclinare poteſt, quò iudicij practici aliqua inæqualitas vergit, vt ex Ariſtotele & S. Thoma antea oſtendimus.

Nam libertas eius eſſentialis, non in accidentali illa indifferentia quâ in hanc & illam partē vacillando annuit, conſtitui debet, ſed in naturali & peculiari quodam modo, quo appetitus rationalis ſeipſum ex parte ſubiecti movet, & ab appetitu brutali, iſto modo ſe mouendi diſtinguitur. Ille autem peculiaris ſe mouendi modus per vltimi iudici practici imperium nequaquam euertitur, aut perturbatur. Imò nec eripit etiam facultatem ſe mouendi in contrariam partem, aut refrenandi ſuum motum, ſi intellectus ei ſufficientes rationes ſuggereret. Iudicium enim practicum mouet proponendo & ſuadendo ex parte obiecti, nō præcipitando brutaliter aut fataliter voluntatē ex parte potentię & ſubiecti, ſed ipsā ſinit *mouere ſeipſam, ſicùt ipſa*, ait S. Tho. *alias potentias ad exercitium movet*. Deinde, ſi S. Thomæ credant, ex parte potentiæ à causâ primâ voluntas ſic molliter agi & prædeterminari poteſt, vt tamen eius libertas non euertatur. *Sicut enim Deus*, inquit, *naturalibus cauſis, mouendo eas, non aufert, quin actus earum ſint naturales; ita mouendo cauſas voluntarias, non aufert, quin actiones earum ſint voluntariæ, ſed potius hoc in eis facit. Operatur enim in vnoquoque ſecundùm eius proprietatem.* S. Tho. q. 6. de malo. Idem 1. p. q. 83. a. 1.

Quàm ergo, Deus bone, absurdum est, libertatem voluntatis in eliciendis actibus virtutum moralium, à prudentia, quæ iudicio suo vltimo practico actus illos regit & imperat, euerti? Perinde id est, ac si dicas, aurigam regendo currui talem à natura esse datum, qui equos semper sic incitet, vt currum euertat.

Et licet daremus, eiusmodi prudentiæ ἐσχάτην καὶ ἐπιτακτικὴν κρίσιν *vltimum & præceptiuum iudicium*, non semper esse necessarium, vt voluntas aliquem actum virtutis moralis eliciat; potest tamen, sine dubio, illud adhiberi, & voluntas ab eo ad actum virtutis moueri. Quo casu nonnisi iterum ineptissimè dici potest voluntas à prudentia sic necessitari, vt omne meritum & laudem prudenter operando amittat. Quæ absurditas palàm manifestat, veram, genuinam, & essentialem voluntatis libertatem, non esse medium & nutabundum aliquem voluntatis statum, qui cum iudicio vltimo practico prudentiæ consistere nequeat.

CAPUT XIV.

Est quædam essentialis libertas voluntatis, præter accidentalem indifferentiam contrarietatis & contradictionis.

INtelligentia huius essentialis libertatis ex modo diverso operandi rationalis & irrationalis appetitûs dependet. Ideo enim voluntas in appetendo essentialiter est libera, quia peculiarem agendi modum habet, quo appetitus brutorum caret. Modus autem ille est, quòd anima rationalis per voluntatem suam seipsam moueat, anima verò bruti per appetitum irrationalem non tam seipsam moueat, quàm à natura eam propellente & quodammodo cogente moueatur.

Hæc

Hæc Platonis, Aristotelis, & veteris Philosophiæ doctrina est, vnde SS. Patres Latini Græcique sumpserunt. *Carentia ratione animalia*, inquit Bernardus, *sensu aguntur, feruntur impetu, rapiuntur appetitu. Hanc vim à natura solus homo non patitur, & ideo solus inter animantia liber. Et tamen,* addit, *interueniente peccato, patitur quandam vim & ipse, sed à voluntate, non à natura; vt ne sic quidem ingenitâ libertate priuetur. Quod enim voluntarium, liberum.* *S. Ber. Ser. 81. Cantic.*

Et S. Thomas: *De brutis dicimus, quòd non agunt, sed aguntur; quia à natura mouentur, & non ex proprio motu, ad ad suas actiones agendas.* *S. Tho. Rom. 8. lect. 3.*

Et Damascenus: Τὰ ἄλογα ἄγονται μᾶλλον ὑπὸ τῆς φύσεως, ἤπερ ἄγουσι, ὁ δὲ ἄνθρωπος λογικὸς ὤν, ἄγει μᾶλλον τὴν φύσιν, ἤπερ ἄγεται, *Bruta irrationalia ducuntur potiùs à natura, quàm naturam ducant; homo verò rationalis cùm sit, naturam potiùs ducit, quàm ducatur ab ea.* Quod subtiliter sanè Doctor noster Solennis explicat: *Non impetu naturæ præcedente motum voluntatis, & voluntatem in actum impellente,* inquit, *vult homo quod vult, quemadmodum appetunt bruta; sed desiderio & complacentiâ voluntatis præcedente, & naturali impetu voluntatem concomitante.* *Damasc. lib. 2. c. 27. Orthod.* *Hen. quodl. 3. q. 17.*

Motus igitur voluntatis naturalis, qui cum plena aduertentia rationis exercetur, incipit à voluntate ipsa, seu ab anima per voluntatem se mouente, & naturam suam tanquam comitem in actum post se quodammodo trahente. Motus verò appetitûs bruti contrà, à natura ipsa incipit, quæ & animam & appetitum bruti in actum impellit.

Quam doctrinam ab aduersario suo quem insectari solet, sumere non est dedignatus Subtilis Scotus: *Duplex enim*, inquit, *est necessitas. Vna præuia est ad voluntatem; vt voluntas intelligatur cadere sub necessitate tanquam impellente in actum & figente in actu. Si autem sic esset, voluntas ageretur, & non ageret, nec staret in tali actu libertas. Alterà est necessitas concomitans; ita vt ipsa intelligatur cadere sub voluntate, sic vt voluntas* *Scot. quodl. 16. q. 2.*

Digitized by Google

voluntas propter firmitatem libertatis suæ, sibi-ipsi necessitatem imponat in eliciendo actum, & in perseverando, seu figendo se in actum. Et hanc necessitatem libertati repugnare negat.

Propter istum autem modum se mouendi, Aristoteles & Patres Græci hominem *αὐτεξούσιον suæ potestatis*, & *κύριον τῶν αὐτῶν πράξεων dominum suarum actionum* appellant. Et Henricus, post S. Anselmum, *voluntatem* definit *instrumentum seipsum mouens in obiectum bonum, tanquam primum principium sui motûs.* Quod tamen S. Thomas restringit ad principium primum *in suo ordine*; oculos nempe reflectens ad Deum causam primam, à qua voluntas mota, seipsam *sicut agens proximum* mouet. Et vt alibi ait, licet voluntas sit instrumentum Dei, est tamen eiusmodi instrumentum, *quod in se habet principium sui motûs. A tali autem instrumento non oportet vt omnino excludatur ratio libertatis: quia aliquid potest esse ab alio motum, quod tamen seipsum mouet.*

S. Ansel. c. 21. de concord. grat.

S. Tho. 1.2. q. 9. a. 4.

Idem q. 24. a. 1. de Verit.

Sed quomodo appetitus bruti non seipsum etiam mouet, inquiunt quidam, cùm actum suum vitaliter, non minùs quàm voluntas, eliciat?

Fateor, res ista subtilis & explicatu difficilis est, quia in simplicissimo quodam modo agendi voluntatis consistit, qui nullis partibus constat, in quas explicari posit. Vnde Scotus simplicitatem illam considerans, negat posse dari rationem à priori, quare voluntas liberè essentiali ista libertate agat. *Essentiæ enim*, inquit, *non datur ratio. Sicut non est alia ratio, quare hoc habet talem modum essendi, nisi quia est tale ens; sic non est aliqua ratio, quare hoc habet talem modum agendi, puta, liberè, vel naturaliter, nisi quia est tale principium actiuum, scilicet liberum, vel naturale.* Nam Aristoteli consentienter docet, modos agendi naturaliter & liberè, esse primò diuersos, quia ex doctrina S. Anselmi, voluntas est essentialiter instrumentum animæ seipsum mouens, agens verò naturale moueri debet ab alio. *Esse naturaliter actiuum*, inquit, *& esse liberè actiuum sunt primæ differentiæ principij*

Scot. quodl. 16.

Digitized by Google

principij actiui: & voluntas, vt voluntas, est principium actiuum liberè. Non magis igitur, potest voluntas esse naturaliter actiua, quàm natura, vt est principium distinctum contra voluntatē, potest esse liberè actiua. Sicuti tamen dependentias, vniones, & eiusmodi simplicium modorū essentias, per quasdam habitudines, aut sic-se-habentias, vt possumus, non vt volumus, explicare debemus; ita essentialem modum agendi liberæ voluntatis aliquo simili pacto expedire etiam possumus.

Actio igitur voluntatis essentialiter libera habitudinem ad voluntatem, tamquam ad instrumentum seipsum mouens dicit; & per illam habitudinem ab appetitione bruti essentialiter differt. Actio enim appetitûs bruti, appetitum illum, tamquam instrumentum motum ab alio respicit.

Cur autem voluntas seipsam moueat, vlteriùs sic explicari potest. Quia seipsam ad volendum applicat; quod appetitus bruti facere nequit. Nam vt appetitus seipsum ad eliciendum suam actionem applicare dici posit, debet formaliter vel virtualiter se supra eam reflectere ita vt non tantùm obiectum amoris sui appetat, sed etiam ipsum actum amandi, ad quem eliciendum se applicat.

Hoc autem solus potest appetitus rationalis, qui intellectum ducem sequitur, qui ei actionem suam, super quam se reflectat, ostendere & ob oculos ponere potest. Imaginatio verò bruti, communi Philosophorum consensu, appetitui bruto istud officium præstare non valet.

Hanc doctrinam Doctor Angelicus mihi suggessit. *Quia actus voluntatis,* inquit, *reflectuntur supra seipsos, in quolibet actu voluntatis potest accipi consensus, & electio, & usus. Vt si dicatur, quòd voluntas consentit se eligere, & consentit se consentire, & vtitur se ad consentiendum & eligendum* Ac alibi Caietanus: *Voluntarij actus voluntatis,* ait, *sic supra seipsos reflectuntur, vt quilibet eorum implicitè vel expressè, formaliter vel virtualiter habeat rationem voliti obiectiuè, & non solùm per modum actûs. Dum enim eligo vitam contemplatiuam, consentio*

S. Tho. 1. 2. q. 16. a. 4.

Caiet. 1. 2. q 9. a. 4.

 in talem

Digitized by Google

in talem electionem, & vtor voluntate meâ, ad actum eligendi applicando illam. Et S. Augustinus: *Noli mirari, si ceteris per liberam voluntatem vtitur, etiam ipsâ liberâ voluntate per eam ipsam vti nos posse: vt quodammodo seipsa vtatur voluntas quæ vtitur ceteris, sicut seipsam cognoscit ratio, quæ cognoscit & cetera.*

S. Aug. lib. 2. c. 19. de lib. arb.

Sic autem volendo, & non tantùm directè in obiectum electionis tendendo, sed etiam reflexè in ipsam electionem consentiendo, voluntas indicat se habere quendam peculiarem & essentialem agendi modum, magis sublimem, quo sibi ipsi imperet, & dominium supra actus suos exerceat, quem non habet appetitus brutorum, qui directè solùm in obiecta sensibilia ab imaginatione sibi proposita, impetu quodam naturæ erumpit. Vnde Patres Græci Aristotelem secuti, motum voluntatis ῥοπὴν *inclinationem*, qualis ille mollis in bilance nutus, quo lanx vna leuiter præponderans, infra alteram se demittit; motum verò brutalis appetitûs ὁρμὴν *impetum* appellant. Etsi ὁρμὴ & ὁρμᾶσθαι apud Aristotelem interdum pro forti & impetuosâ, quamuis liberâ, hominis voluntate vsurpentur, velut etiam apud Latinos *impetus*.

CAPUT XV.

S. Thomas, Scotus, & alij Scholastici agnouerunt essentialem illam libertatem, priorem indifferentiâ contrarietatis & contradictionis.

ANimaduersione dignum est, quòd vbicumque S. Thomas libertatem asserit homini, detrahit bruto, discrimen in eo non ponat, quòd suspensa in æquilibrio hominis voluntas se determinare posit, bruti verò appetitus non posit (quæ est nupera recentium Peripateticorum libertas;) sed in hôc, quòd voluntas seipsam agat,

agat, appetitus bruti agatur potiùs, & foràs quasi extundatur à natura. *Omne quod est liberi arbitrij agit*, inquit alicubi, *& non solùm agitur; sed bruta non agunt, sed aguntur, vt Damascenus dicit; ergo bruta non sunt liberi arbitrij.*

S. Tho. q. 24. a. 2. de Verit.

Et alibi: *Sola mouentia seipsa libertatem in agendo habent: & hæc sola iudicio agunt.* Antea verò: *Bruta autem*, ait, *in quantum ipsorum appetere sequitur de necessitate in eis ex formis acceptis per sensum & iudicium naturalis æstimationis, non sunt sibi causa quòd moueantur; vnde non habent dominium sui actûs.*

Idem lib. 2. c. 48. cont. Gent. Ibid. c. 47.

Hinc in Deo esse liberum arbitrium satis se demonstrasse existimat, si non ὁρμῇ & impetu brutali, sed ῥοπῇ & iudicio inclinatus eligat. *Ex hoc enim*, inquit, *homo dicitur præ ceteris animalibus liberum arbitrium habere, quia ad volendum iudicio rationis inclinatur, non impetu naturæ, sicut bruta; ergo in Deo est liberum arbitrium.*

S. Tho. lib. 1. c. 88. cont. Gent.

Hanc eandem essentialem libertatem considerans, vlteriùs & eò vsque progressus est, vt dixerit, *Spiritum sanctum liberè procedere à Patre, non tamen possibiliter* (id est, contingenter) *sed ex necessitate.* Quî sic autem? *Quia libertas voluntatis*, inquit, *violentiæ vel coactioni opponitur. Non est autem violentia vel coactio in hoc quòd aliquid secundùm ordinem suæ naturæ mouetur, sed magis in hoc quòd naturalis motus impeditur; sicut cùm impeditur graue ne descendat ad medium. Vnde voluntas liberè appetit felicitatem, licet necessariò appetat illam. Sic & Deus suâ voluntate liberè amat seipsum, licet de necessitate amet.*

S. Tho. q. 10. a. 2. de Potent.

Nec enim profectò impetu quodam effreni ac brutali, sed iuxta modum operandi voluntatis connaturalem, ac cum libertate essentiali, Spiritus sanctus spiratur. Si tamen spiratio passiua ad voluntatem Patris & Filij tanquam ad principium suum præcisè comparetur. Si enim ad essentiam, cuius est propria subsistentia, sic non libera, sed merè naturalis est. Natura enim diuina naturalissimè & essentialiter flagitat suppositari, non tantùm Patris & Filij, sed

etiam Spiritûs ſancti ſubſiſtentiâ; eamque ex naturali ſuâ fœcunditate effundere poſtulat, per voluntatem tamen, & iuxta modum agendi naturalem voluntati.

Doctori Angelico planè conſentit Subtilis. Docet enim etiam, Spiritum ſanctum liberè ſpirari à Patre & Filio, licet *ſummè neceſſariò.*

Cauel. in 1. d. 10. q. 1. *Non enim liberè libertate contradictionis vel contrarietatis,* ait Scholiaſtes eius Hugo Cauellus, *ſed libertate eſſentiali; quæ conſiſtit in determinare ſe delectabiliter & eligibiliter ad amandum, vel eliciendum amorem, eſto non contingenter.*

Vbi rectè hanc libertatem *eſſentialem* vocat: eſt enim intrinſecè & eſſentialiter incluſa in omni motu, quo voluntas connaturali ſuo modo, ex plena aduertentia rationis, ſeipſam ad amandum applicat. S. Bernardus verò *libertatem naturæ*, ſiue *naturalem*, appellat, quia à natura inditam habemus, *& vniuerſa tam malæ quàm bonæ rationali conuenit creaturæ.* Et Bernardum imitatus S. Thomas: *Primus homo*, inquit, *liberum arbitrium dicitur perdidiſſe, non quantum ad libertatem naturalem, quæ dicitur à coactione.* Hæc quippe eſſentialis libertas, eſt illa quam perpetuò dicit ſoli coactioni repugnare.

S. Ber. de liber. arbit.

S. Tho. 1. p. q. 83. a. 2.

Vnde Ferrarienſis ex Magiſtri ſui doctrinâ duplicem libertatem diſtinguens: *Libertas duobus modis ſumitur*, inquit, *ſcilicet vt opponitur neceſſitati coactionis, & vt opponitur neceſſitati naturalis inclinationis. Non eſt autem de ratione ipſius in quantum opponitur neceſſitati coactionis, quòd in diuerſa poſſit, ſed quòd voluntatis inclinatione quis operetur, quod poteſt etiam conuenire agenti aliquid ex naturali inclinatione.* Ex naturali, inquam, inclinatione voluntati propriâ & peculiari, non autem ex inclinatione merè naturali, quæ coactio quædam eſt, & eſſentiali libertati repugnat. Mera enim, ſiue irrationalis natura habet oppoſitum planè modum agendi, quàm voluntas. Vnde egregiè S. Thomas: *Voluntas diuiditur contra naturam, ſicut vna cauſa contra aliam. Quædam enim*

Lib. 3. c. 138. contra Gent.

S. Tho. 1. 2. q. 10. a. 1.

fiunt

Digitized by Google

fiunt naturaliter, & quædam fiunt voluntariè. Est autem alius modus causandi proprius voluntati, quæ est domina sui actûs, præter modum qui conuenit naturæ, quæ est determinata ad vnum. Determinata ad vnum, videlicet ex ὁρμῆ siue *impetu* quodam effreni, impellente, cogente, & figente causam in vnam partem, ad quam eam determinat. Nam aliàs voluntas etiam liberè libertate essentiali operans, potest seipsam quadam necessitate determinare ad vnum; *sic vt propter firmitatem libertatis suæ, sibi ipsi necessitatem imponat in eliciendo actum, & in perseuerando, seu figendo se in actum*, vt Doctorem Subtilem cap. superiori philosophantem audiuimus. Hoc enim in amore beatifico voluntas facit, quem liberum esse libertate istâ essentiali, subtiliter & verissimè Scotus docet. Et consentit planè S. Thomas, quando ait, *Quòd si virtus ad finem perfectionis deuenerit, quandam necessitatem infert ad bene agendum: sicut est in Beatis, qui peccare non possunt. Nec tamen propter hoc libertati voluntatis aliquid deperit, aut actûs bonitati.* Nam, vt paulò antè dixerat, *Necessitas ex interiori inclinatione procedens laudem virtuosi actûs non minuit, sed auget: facit enim voluntatem magis intensè tendere in actum virtutis.* Et alibi de libertate Christi disserens: *Etiamsi liberum Christi arbitrium,* inquit, *esset determinatum ad vnum numero, sicut ad diligendum Deum, quod non facere non potest; tamen ex hoc non amittit libertatem, aut rationem laudis, siue meriti, quia in illud non coactè, sed spontè tendit, & ita est actûs sui dominus.*

Scot. quodl. 16. q. 2.

S. Tho. lib. 3. c. 138. cont Gent.

S. Tho. 3. d. 18 q. 1. a. 2.

Vnde nimis mirum & improbabile mihi semper visum est, quod quidam noui Peripatetici affirmant, Beatos in amore beatifico nullam mereri laudem; solùm quia contrarietatis & contradictionis indifferentiâ carent, ideoque *impossibile sit, quin diligant Deum*, vt alibi ait S. Doctor. Nam quandoquidem plenissimâ intellectûs aduertentiâ, & ob altissimas & sapientissimas rationes, non ὁρμῆ & brutali, aut hominis insani impetu, sed ῥοπῆ & inclinatione maximè

S. Tho. 1. p. q. 60. a. ult.

47

Naturalis necessitas, inquit S. Thomas, *secundùm quam voluntas aliquid ex necessitate velle dicitur, vt felicitatem, libertati non repugnat, vt S. Augustinus docet lib. 5. de Ciuit. Libertas enim voluntatis, violentiæ vel coactioni opponitur.* Et alibi: *Libertas secundùm Augustinum, opponitur necessitati coactionis, non autem naturalis inclinationis.* Ac statim pòst: *Necessitas naturalis non repugnat dignitati voluntatis, sed sola necessitas coactionis.* Ac mox: *Voluntas in quantum est rationalis* (ratiocinatiua, & quatenus sub ratione liberi arbitrij strictè dicti consideratur, vt postea ostendemus) *ad opposita se habet: hoc enim est considerare ipsam secundùm hoc quod est ei proprium: Sed prout est natura quædam, nihil prohibet eam determinari ad vnum.* S. Tho. q. 10. a. 2. de Potent. Idem q. 22. a. 5. de Verit.

Item: *Seruitus peccati non dicit coactionem; sed vel inclinationem, in quantum peccatum præcedens aliquo modo inducit ad sequentia; vel per defectum virtutis naturalis, quæ non potest se à macula peccati eripere, cui se semel subdidit. Et ideo semper in homine remanet libertas à coactione, per quam naturaliter est liberi arbitrij.* Idem q. 24. a. 1. de Verit.

Alibi: *Est duplex necessitas. Quædam coactionis: & hæc laudem virtuosorum actuum diminuit, quia voluntario contrariatur. Coactum enim est quod voluntati est contrarium. Quædam est necessitas ex interiori inclinatione procedens: & hæc laudem virtuosi actûs non minuit, sed auget. Facit enim voluntatem magis intensè tendere in actum virtutis.* Idem lib. 3. c. 138. cont. Gent.

Item: *Coactionis necessitas omnino repugnat voluntati.* Ac paulò pòst: *Similiter nec necessitas naturalis repugnat voluntati.* Voluntatem autem modo suo connaturali operantem non distinguit à libertate, SS. Patrum secutus doctrinam & phrasim. Vnde mox ibidem: *Necessitas*, ait, *naturalis non aufert libertatem voluntatis.* Idem 1. p. q. 82. a. 1.

Ac Deinde: *Homo peccando liberum arbitrium dicitur perdidisse, non quantum ad libertatem naturalem, quæ est à coactione.* Idem 1. p. q. 83. a. 1.

Et inde

Et inde etiam est, vt voluntarium & ab ipso & ab Augustino & SS. Patribus passim pro libero vsurpetur. Ideoq; in Summa sua non quærit, Vtrum libertas, sed *Vtrum voluntarium inueniatur in animalibus brutis*, quia pro eodem reputat, liberum, & perfectè voluntarium.

Idem 1. 2. q. 6. a. 2.

Sed ignoratio, aut obscuritas huius coactionis, quam SS. Patres & S. Thomas solam libertati repugnare toties ingeminant, magnas in Philosophiam Moralem tenebras, & in Theologiam etiam turbas inuexit.

Vt ergo à voce incipiamus, *ἀνάγκη necessitas* aut *coactio*, & *ἀναγκάζειν*, quod Barbari *necessitare*, Latini *cogere* vertunt, non vno modo vsurpantur. Vnde ridiculi profectò sunt, qui vbicumque *necessitatis* nomen sonuit, illicò de libertate voluntatis actum esse clamant. Hâc enim eorum Philosophiâ, arbitrij libertatem Gentibus à S. Petro ademptam fuisse oportuit, ad quem ait Paulus, *Quomodo Gentes cogis* (Græcè, *ἀναγκάζεις tu necessitas*) *Iudaizare?*

Galat. 2.

Itaque vt intelligamus, quæ necessitas repugnet, & quæ non repugnet libertati, S. Thomas scitè admodum necessitatem actûs generaliter in necessitatem naturalis inclinationis, & necessitatem coactionis diuisit. Necessitas naturalis inclinationis est illa quæ adhæret actui, qui ex naturali inclinatione alicuius potentiæ fluit. Talis enim actus eo modo quo necessarius esse dicitur, sic à potentia sua fluit, vt non fluere non possit.

S. Tho. lib. 3. c. 138. cont. Gent.

Verùm quia natura, à qua inclinatio illa vocatur naturalis, varia est, idcirco fieri potest, vt naturalis inclinatio vnius naturæ aliter in actum suum effluat, & aliter inclinatio alterius. Voluntatis autem natura & naturalis inclinatio plurimùm à natura & inclinatione ceterorum agentium distat. Vnde non mirum, quòd in modo se agendi & inclinandi, sit essentialis quidam libertatis modus, quo se, duce ratione, in hanc aut illam partem cum indifferentia quadam essentiali determinet; qui agendi modus alijs agentibus

Digitized by Google

agentibus competere minimè posit. Vnde licet actui voluntatis interdum aliqua necessitas & constrictio adhæreat, illam tamen voluntas sibi ipsa imponit, ut ex S. Thoma, Scoto, Henrico Cap. XIV. & XV. differebamus.

Non enim aliunde in istam necessitatem deijcitur, sed ipsa propter maximas & conuincentissimas rationes se in eam demittit. Quia verò necessitatis nomen duriter sonat, & miseriam quandam quam quis inuitus patiatur, auribus ingerere videtur, ideo S. Aug. in actibus voluntatis bonis, quantumuis necessariò elicitis, vocabulum necessitatis ferè declinare solet, aut addito aliquo emollit. Vt *bonam constrictionem naturæ*, aut, *beatam necessitatem &c.* appellat. *Perquam absurdum est*, inquit Pelagio, *vt ideo dicamus non pertinere ad voluntatem* (hoc est ad libertatem) *nostram, quòd beati esse volumus, quia id omnino nolle non possumus, nescio quâ bonâ constrictione naturæ. Nec dicere audemus, ideo Deum non voluntatem, sed necessitatem habere iustitiæ, quia non potest velle peccare.* Et Iuliano: *Liberum non est nisi quod duo potest velle, id est bonum & malum? Liber Deus non est, qui malum non potest velle? Siccine Deum laudas, vt ei auferas libertatem? An potiùs intelligere debes, esse quandam beatam necessitatem, quâ Deus iniustus non potest esse?* S. Aug. c. 46. de nat. & grat. Idem lib. 1. Oper. imperf.

Cetera verò agentia tam merè naturalia, vt elementa & inanimata, quàm sensitiua irrationalia, non agunt se propriè, vt præcedentibus Cap. diximus, sed aguntur quasi ab alio, nec applicant se ad agendum, cùm supra actus suos se non reflectant, sed à natura foràs præcipitantur. *Appetitum enim brutorum imaginatio bruta & simplex extimulat*, ait Themistius, *& simul atque occurrit atque incidit aliquid quod allubescat, continuò trahitur.* Themist lib. 3. c. 67. de anim a.

Vnde necessitas quæ agentia merè naturalia, & appetitum brutorum agit, est antecedens ex parte potentiæ, & ex habituali quadam inclinatione (siue distinctâ, siue indistinctâ) ab Auctore naturæ impressâ, quâ vrgentur & præci-

Arist. lib. 1. c. 12. Magn. Moral. pitantur in suas actiones. Vnde Aristoteles disertè negat, eiusmodi agentia propriè agere. οὔτε γὰρ ἀψύχων οὐθὲν λέγομεν πράττειν, οὔτε τῶν ἐμψύχων, ἔξω ἀνθρώπων, *Neque enim*, inquit, *vllum in animatum agere dicimus, neque etiam animatum, prater hominem.*

Necessitas verò, si quæ in actum voluntatis incidat, est solùm consequens; quia sicuti ipse actus ab Auctore naturæ positus est in manu & potestate voluntatis, ita & necessitas actui adhærens. Nam vt Cap. XIV. subtiliter nos docebat Scot. quodl. 16 Scotus: *Voluntas sibi-ipsi necessitatem imponit eliciendo actum, & se figendo in ipsum.*

Nec refert, quòd à iudicio practico intellectûs voluntas determinari, & à prudentiâ imperari debeat. Hoc enim naturalem modum agendi eius non immutat. Illa quippe est naturalis conditio voluntatis, vt quia cæca est, obiectum in quod se mouere debet, ei ab intellectu indicetur; & quia naturaliter, vt sic dicam, etiam prudens est, sibi, vt hoc appetat, ab eodem intellectu practico, tanquam consiliario, suggeri postulat. Tunc enim demum ex parte subiecti S. Tho. q. 6. de malo. seipsam mouet, *sicuti alias potentias ad exercitium mouere potest,* ait S. Thomas.

Ex quibus patet, quòd quando S. Thomas & alij docent, necessitatem naturalis inclinationis non repugnare libertati, intelligendi sint de necessitate, non naturalis inclinationis vniuersim & cuiuscumque agentis, sed naturalis inclinationis particularis cuiusdam naturæ, quæ est voluntas, cuius modus agendi peculiaris est, & à ceterarum naturarum modis agendi longè diuersus.

Vnde optimè Aristoteles, S. Augustinus, Scotus, alijque, Agens generaliter, in naturale & voluntarium primò diuidunt, vt Cap. XIV. ex Scoto audiebamus. Et cum Mani- S. Aug. lib. 3. c. 1 de lib arbit. chæis disputans S. Augustinus, *Naturam* & *voluntatem*, item *naturale* & *voluntarium* opponit: & motum lapidis ad inferiora esse *naturalem*, animi verò motum esse *voluntarium* dicit.

dicit. Et alibi: *Illæ animæ quidquid faciunt*, inquit, *si natura, non voluntate faciunt*. Indicans, Omne agens agere vel voluntate, vel naturâ, id est, *sine voluntate tanquam ignis*, vt ibidem ait. Quem imitatus S. Thomas dicit *apetitum bruti absque electione moueri, sicut absque electione ignis mouetur sursum, & non deorsum*. *Idem c. 12. de duab. animab.* *S. Tho. 1. 2. q. 13. a. 2.*

Hinc collige, necessitatem inclinationis naturalis agentium merè naturalium & brutorum repugnare libertati voluntatis, & ad quoddam genus coactionis pertinere, vt statim Cap. XVIII. latiùs patebit.

CAPUT XVII.

Coactio vulgaris, seu secundùm quid, libertati non repugnat.

CVm coactionis necessitatē dicimus, regimen est pro concordantia, vt Grammatici loquuntur, perinde ac si dicamus, coactionem quæ est necessitas quædam. Patet ex voce Græca ἀνάγκη, quæ & *coactio* & *necessitas*, & verbum ἀναγκάζειν, *cogere*, vel *necessitare* verti solet. Vnde indifferenter, coactionem, aut necessitatem coactionis, libertati repugnare dicimus.

Coactionem generaliter in Vulgarem & Philosophicam diuidere possumus.

Vulgaris est, qua metu, importunitate, sollicitatione, inueteratâ consuetudine &c. ad aliquid volendum coactos nos fuisse vulgò dicere solemus.

Hâc significatione apud I. C. Voluntas coacta, dicitur esse vera voluntas, & sic facta valere, etsi à iudice possint rescindi. *D. quod metus causa.*

Hæc coactio vulgaris libertati voluntatis non repugnat. Quod enim metu &c. coacti volumus, re verâ voluntariè & liberè volumus, etiamsi si metus abesset, contrarium vel-

 lemus,

Digitized by Google

lemus, in quod voluntas magis propendet. Vnde metu factum, ſimpliciter eſt voluntarium, & ſolùm ſecundum quid inuoluntarium, vt optimè poſt Ariſtotelem docet S. Thomas. In metu enim naufragij vult abſolutè mercator proijcere merces, licet extra metum abſolutè retinere vellet. Nec metus (niſi mentem ei auferat) naturalem modum agendi voluntatis ita conturbat, vt inſtar bruti, aut hominis inſani, iacturam illam facere velit.

S. Tho. 1. 2. q. 6. a. 6.

Voluntas ergo coacta in hac vulgari ſignificatione, idem valet ac inuita; quia licet ſpectatis omnibus circumſtantijs hîc & nunc hoc velit, ſimul tamen eſt quædam nolleitas, ſeu contrarij velleitas, in quod voluntas remoto metu, aut alijs impedimentis, ſponte ſuâ propendet. Hanc vulgarem coactionem Ariſtoteles etiam ἀνάγκην *neceſſitatem* vocat, ὅτι ὅσα μὴ ἑκόντες πράττομεν, ἀναγκαζόμενοι πράττομεν, *quia quæcumque inuiti facimus, neceſſitate coacti facimus.*

Ariſt. lib. 1. c. 13. mag. moral.

Sed de iſta coactione vulgari S. Bernardum ſubtiliter philoſophantem audiuiſſe iuuabit. Libertati voluntatis, coactionem repugnare antè docuerat, & tamen S. Petrum metu mortis coactum ad Chriſti negationem dicebat. Vnde, *Quid ergo?* inquit, *fortè diſſoluta eſt tota ſuperior aſſertio de libertate voluntatis; quia nimirum inuenta eſt cogi potuiſſe voluntas?* Reſpondet: *Eſt planè, ſed ſi cogi ab alio potuit quàm à ſeipſa. Quod ſi ſeſe ipſa coëgit, compulſa, & compellens; vbi amittere, ibi & recipere viſa eſt libertatem. Vim quippe quam ipſa ſibi intulit, à ſe pertulit. Porrò quod à ſe voluntas pertulit, ex voluntate fuit. Quod ex voluntate fuit, iam non ex neceſſitate, ſed voluntarium fuit. Si autem voluntarium, & liberum.*

S. Ber. de lib. arb. 1.

Nec tamen S. Bernardo, nec S. Thomæ, nec Ariſtoteli contradicit S. Auguſtinus dum ait: *Cùm quiſque inuitus aliquid facit, ſi eum roges, vtrum id facere velit, nolle ſe dicit. Item ſi roges, vtrum id velit non facere, velle reſpondet.* Ac deinde: *Si rurſum quæramus, quam ob cauſam id inuitus faciat,*

S. Aug. c. 11. de duab. animab.

faciat, cogi se dicet. Nam omnis inuitus faciens cogitur, & omnis qui cogitur, si facit, non nisi inuitus facit.

Voluntatem enim inuiti negat esse voluntatem Augustinus, quia considerat eam secundùm inclinationem, quam ex se remotis extrinsecis cogentibus habet, solamque eam voluntatem appellat; iuxta propriam illam & specialem voluntarij significationem, qua volentes & voluntariè nos aliquid fecisse dicimus, quando propriâ nostrâ sponte nullo extrinseco (sub quo extrinseco etiam concupiscentiam carnis,quàm *partem animæ exteriorem* nuncupat Augustinus, comprehendimus) adacti & coacti, aliquid fecimus. *Ibid. cap. 13.*

Vt proinde, *volens* Augustino sit, quod Apostolo (quem imitatur) ἑκὼν *volens*, & coactus idem quod ἄκων *inuitus*,cùm ait, *Si volens hoc ago, mercedem habeo, si autem inuitus, dispensatio mihi credita est*. Vnde addit Augustinus: *Hoc modo, omnis qui volens facit, non cogitur, & omnis qui non cogitur, aut volens facit, aut non facit.* *Arist. lib 3. c. 1. Ethic. 1. Cor. 9.*

Tali autem voluntate peccatum primorum parentum commissum esse dicit, *quia & scientes contra præceptum fecerunt, & ille tentator suasit vt hoc fieret, non coëgit.* Peccata verò quæ iam à nobis concupiscentiâ victis committuntur, coacta & inuita appellat. *Qui enim cogenti cupiditati bonâ voluntate resistere*, inquit, *non potest, & ideo facit contra præcepta iustitiæ, iam hoc ita peccatum est, vt sit etiam pœna peccati.* Sed sic inuita & coacta sunt in istis qui spiritu vtcumque aduersus carnem suam pugnantes succumbunt, vt tamen etiam voluntate & naturali libertate fiant. Aliàs enim peccata non essent. Vnde *& hoc peccatum*, ait ibidem, *quo consentitur concupiscentiæ peccati, non nisi voluntate committitur.* Quod Augustino satis est, apud quem, voluntas est libertas. Alibi etiam Pilatum, quamuis inuitum & à Iudæis coactum, reum tamen peccati fuisse dicit. *Si reus, quia fecit vel inuitus, illi innocentes, qui coëgerunt vt faceret?* Hinc alibi de hisce voluntatis motibus magis attentè & profundè *Idem lib. 1. c. 15. Retract. Idem ibidem. Idem Psal. 63.*

Digitized by Google

cogitans, *Si ſubtiliùs aduertamus*, inquit, *etiam quod quiſque inuitus facere cogitur, ſi facit, voluntate facit: ſed quia mallet aliud, ideo inuitus, hoc eſt nolens facere dicitur.*

Idem c. 13. de Spir. & Litt.

Quando ergo ἀκρατὴς *incontinens* ſuccumbit carnis tentationi, prauâ conſuetudine, aut impetu cupiditatis ſubactus, iſtâ eâdem vulgari coactione rectè cogi dicitur. Vellet enim abſtinere, ideoque μεταμελητικὸν *pœnitere* eum poſt factum, dicit Ariſtoteles. Sed ἀκόλαςος *intemperans*, qui non pugnat nec reſiſtit cupiditati, ſed διώκει τὰς ὑπερβολὰς τῶν ἡδέων διὰ προαίρεσιν, καὶ δι' αὐτὰς, *exceſſus rerum iucundarum proſequitur ex electione & propter ipſas*, ideoq; οὐ μεταμελητικὸς ἐςὶ *ipſum non pœnitet*, cogi ad voluptates appetendas dici nequaquam poteſt; cùm nullâ velleitate & propenſione in contrarium honeſtatis bonum trahatur; vnde Ariſtoteles ἀνίατον *incurabilem* eum vocat.

Ariſt. lib. 7. c. 9. Ethic.

Idem c. 8.

Tales ſunt Epicurei, & quicumque ſenſuum voluptates non ſolùm iucundas, ſed etiam honeſtas eſſe credunt. Cur enim iſti ſe refrenent, & non potiùs laxis habenis voluntates ſuas ſecundùm blandulæ concupiſcentiæ motus in voluptates, quas putant honeſtas, effluere ſinant?

Nec in illis, concupiſcentiæ raptu ſubuertitur naturalis libertas, quia non ὁρμῇ & impetu, vt bruta aut inſani, ſed ῥοπῇ & inclinatione voluntariâ, cum libertate & indifferentiâ quâdam eſſentiali, voluntas eorum concupiſcentiam ſequitur. Imò accidentalem etiam quandam indifferentiam inter mala habent, qua ſæpè vitando Charybdim incidunt in Scyllam; vt quando adulterium propter auaritiam aut vanam gloriam, declinant. Imò & indifferentiam ad bonum habere, & omnes Charybdes Scyllaſque ſalui prænauigare poſſunt, ſi Spiritus Dei vela eorum impleat.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XVIII.

Quænam igitur illa coactio, quam S. Thomas & SS. Patres solam libertati naturali repugnare dicunt.

Coactionem, siue coactionis necessitatem, in Vulgarem & Philosophicam, ad doctrinæ claritatem, diuisimus.

Philosophicam voco, quæ in Philosophorum Scholis est celebris. Hæc iterum est triplex, Violenta, Fatalis, Brutalis. Quæ omnes capitaliter cum naturali voluntatis libertate pugnant.

Atque hæc Philosophicæ coactionis necessitas, famosè nomine, *necessitatis* intelligi solet, quando voluntati liberæ opponitur. Vnde S. Bernardus: *Sola voluntas nulla vi, nullâ cogitur necessitate.* Ac de eadem passim coactionis necessitate loquens: *Est verò, quam magis ei* (libero arbitrio) *congruere arbitror, libertas, quam dicere possumus à necessitate, eo quòd necessarium voluntario contrarium esse videatur. Siquidem quod ex necessitate fit, non iam ex voluntate, & è conuerso similiter.* Voluntatem autem nihil aliud, quàm libertatem intelligit. Vnde paulò pòst: *Libertas à necessitate æquè & indifferenter Deo, vniuersæque tam malæ quàm bonæ rationali conuenit creaturæ.* Et antè: *Non est consensus nisi voluntarius. Vbi ergo consensus, ibi voluntas. Porrò vbi voluntas, ibi libertas.* *S. Ber. de lib. arbit.*

Et Bernardo, Augustinoque consentienter Magister Lombardus: *A necessitate & ante peccatum & post æquè liberum est arbitrium. Sicut enim tunc cogi non poterat, ita nec modò. Vbi necessitas, ibi non est libertas: vbi non est libertas, nec voluntas, & ideo nec meritum.* *In 2. d. 27.*

Digitized by Google

Violenta coactio est illa proprijssimè dicta, quam Græci non tantùm ἀνάγκην *necessitatem*, sed etiam βίαν *violentiam* appellant.

Arist.lib. 3. c. 1. Ethic. Hanc Aristoteles definit, *Cuius principium est extrà, nihil conferente eo qui cogitur*.

Hæc autem necessitas & coactio non tantùm actui voluntatis libero, sed omni eius actui etiam indeliberato & imperfectè spontaneo repugnat: nec solùm actui voluntatis, sed appetitûs sensitiui, imò omnis omnino potentiæ actiuæ. Si enim actiuè in actum suum influit, aliquid ad illum *confert*, apertamque implicat contradictionem, vt talis actiua potentia in suo actu coactionem talem ac violentiam patiatur. Vnde apud Aristotelem & Philosophos iactatum est, *Voluntatem in solis actibus suis imperatis, non in elicitis violentiam posse pati.* Potest enim homo trahi & violentè loco moueri nolens, non potest autem nolens velle.

Præter autem istam violentiam & rigidissimæ significationis coactionem, est alia duplex, minùs quidem propriè dicta, in vsu tamen etiam Philosophorum promiscuo.

Vnam Græci εἱμαρμένη *fatalem*, aliam ὁρμὴν *impetum* appellant; quali impetu appetitus brutorum fertur, ideoque merito *necessitas brutalis* vocatur.

Coactio fatalis in affectibus omnibus nostræ voluntatis esset, si vera essent quæ de fatali necessitate Democritus & Stoici quidam garriunt. Nam in eorum Philosophia, Deus cum plena aduertentia humanæ rationis, fatali & necessario raptu sic raperet nostram voluntatem, quomodo ferè voluntas rapit & impellit secum potentiam loco motiuam.

Suar. Prol. 1. c. 5. de grat. Sot. lib. 1 c. 16. de nat. & grat. Id autem fieri oporteret per concursum Dei *longè diuersum, quo virtutem suam efficaciùs applicaret*, vt ait Suarez. Et consentienter Sotus: *Necessitari voluntatem à Deo qui Auctor est naturæ, nihil vetat; sed tunc auferet illi libertatem in tali actione, mouendo illam, ceu brutam pecudem.*

Negat

Negat tamen Guiliel. Parisiensis id posse fieri, *Quia necessitas, inquit, vel impossibilitas quæ non aufert operi quin sit voluntarium, hoc est ex voluntate, quam impossibile est non esse liberam, nec culpam aufert, nec meritum eidem operi.* Tract. de vitijs.

Idem quoque negare debet Vasquez. Nam *alio modo tolli à Deo non potest libertas nostræ voluntatis*, inquit, *quàm vno ex tribus modis. Vel perturbando cogitationem, vt non sit in nobis plena potestas deliberandi, vel vnione hypostatica; vel visione beatifica. Ex quibus duo posteriores modi solùm impediunt libertatem ad peccandum.* Vas. 1. p. d. 99. c. 8.

De ablatione verò libertatis per fatalem raptum, nulla mentio. Sed hic tamen etiam modus admitti potest, propter supremum & efficacissimum imperium, quod Deus habet in nostram voluntatem.

Coactio brutalis visitur in appetitibus brutorum, ad quos etiam hominum amentium, puerorum, somniantium affectus, & motus nostri primò primi reduci debent. Simili enim modo & ὁρμῆ *impetu* omnes sine libertate foràs prosiliunt; nec agentia talia propriè se mouere, sed moueri potiùs ab alio dicuntur. Vnde licet fatalis, & brutalis coactio non tam propriè coactionis nomen, quàm coactio violenta ab Aristotele suprà definita, participient, quia voluntas nostra fato, aut brutali impetu rapta, aliquid concursu suo ad actionem suam *conferret*; tamen eo ipso quodammodo cogeretur, quo ad concurrendum ab alia causa raperetur, quæ eam in consortium actionis, extraordinario & voluntati non attemperato modo agendi, abriperet.

Non ergo solùm violenta necessitas & coactio, sed etiam fatalis & brutalis impetus, voluntati libertatem eriperet; & facto ipso in amentibus, pueris, & somniantibus eripit, si somnijs fortè aliquem voluntatis actum misceri contingat. In actibus verò nostris primò primis, est certius. Nam illi potiùs ultrò è sinu voluntatis auolant, quàm voluntas eos excutiat & auolare faciat. Vnde quidam Nomi-

nales cum Buridano, Cisterſienſi, alijsque exiſtimant, quòd voluntas illos actus non efficiat, ſed recipiat tantùm ab habitu aliquo, aut ab alia ſimili cauſa productos. Qui Philoſophorum in re iſta diſſenſus ſanè indicat, motus iſtos primò primos longè alio, & tenuiori, vt ſic dicam, modo, quàm liberos actus, à voluntate efficienter attingi. Non enim præviâ plenâ aduertentiâ rationis, & perfecto iudicio practico quo exire iubeâtur pręcedẽte, in eos voluntas ſe reſoluit, ſed vt feſtiuiſsimè Ariſtoteles, *quemadmodũ feſtini miniſtri faciunt, qui priuſquam omnia quæ dicuntur audierint, excurrunt.* Qui excurrendi modus, gemellus etiam eſt agendi brutorum. *Tali enim cibo monſtrato*, ait ſcitè Ficinus, *& ſic affecto corpore bruti, ſtatim ita iudicat ac appetit anima. Neque poſtquam pabuli figuram aſpexit, tempus aliquod vel breuiſsimum differt iudicium & cupidinem; quaſi anima illa panè nihil ex ſua virtute in medium afferat.*

Ariſt. lib. 7. c. 7. Ethic.

Marſil. Ficin. lib. 9. c. 4 de immort.

Aliam Philoſophiam explicandis motibus primò primis fabricat Io. Salas. *Nam voluntas*, inquit, *à quolibet bono neceſſitatur, dum intellectus nullum præſentat motiuum reijciendi obiectum, vel ſuſpendendi actum circa ipſum; ſiue tale obiectum ſit beatitudo non clarè viſa, ſiue bonum in communi, ſiue aliquod particulare bonum, citra beatitudinem. Vel ſaltem*, addit, *neceſſitatur voluntas, quoties intellectus nullum examen facit de bonitate & malitia obiecti, vel actus, ſed præcisè cogitat de bonitate, vel præcisè de malitia.* Quæ profectò ſi vera ſint, plurimi actus cum pleniſsima aduertentia rationis à volũtate expreſſi, erunt primò primi ac indeliberati; ideoq; nec præmij nec pœnæ capaces: contra omnium ſapientiũ apprehenſionem & iudiciũ. Quàm enim ſępè tam in bonis, quàm in malis, pleno rationis iudicio defixi hæremus, ad nihil aliud quàm ad ſolam bonitatem, aut ad ſolam malitiam attenti?

Io. Salas 1. 2. Tract. 3. d. 1. ſect. 12.

Meliùs igitur celeritas illa motuum primò primorum ſubitis brutorum affectibus comparatur, & per eos explicatur. Veluti enim repentino & informi imaginationis iudicio

dicio bruta appetitum suum excitant; ita ad simile intellectûs iudicium, voluntas nostra subitò in informem quendam & brutali simillimum affectum exilit.

Ad formandum enim & exprimendum in se formalem & appetitu rationali dignum affectum, pleno rationis iudicio dirigi debet. Nec enim cuilibet appetitui quodlibet iudicium, ad operandum debito & connaturali modo, sufficit. Nam neque voluntas nostra iudicio phantastico, neque infimi Angeli voluntas iudicio humano, neque supremi Angeli voluntas iudicio infimi se dirigere potest; sed distincti specie appetitus distinctas specie potentias cognitiuas ductrices, & iudicia earum specie distincta flagitant, quibus, tanquam facibus gressus suos regant. Et sanè quanto interuallo iudicium phantasticum, & iudicium rationale de eodem prorsus obiecto, inter se distent, facilè quisque dicet & experitur, quando è somnij nebulâ expergefactus, ad solem & lucem rationis subitò transilit.

Breuiter ergo. Non tantùm necessitas & coactio illa [*Arist. lib. 3. c. 1. Ethic.*] rigidissima, in quam *nihil actiue confert is qui cogitur*, sed etiam fatalis & brutalis, si adhibeatur voluntati, euertent eius libertatem, diceturque tali coactionis necessitate voluntas hominis cogi, sicuti bruta à Philosophis & SS Patribus cogi, & compelli, imò & *vim* violentiamq; quandã pati [*Lud Blos. c. 13. Ascet. 5.*] dicuntur. *Bruta nequaquam naturam ducunt, sed à natura ducuntur, non voluntate eligente, sed naturâ* COGENTE, *appetitum* [*Ber. ser. 81. Cãt.*] *concupiscentiamque suam sequuntur.* Et S. Bernardus: *Bruta sensu aguntur, feruntur impetu, rapiuntur appetitu. Hanc* VIM *à natura solus homo non patitur, & ideo solus inter animantia* [*S. Aug. lib. 3. c. 1. de liber. arb.*] *liber.* S. Augustinus quoque dicit, agentia ista naturalia, *naturæ suæ necessitate compelli*, & ideo *nullam culpam deprehendi posse*, ubi talis *natura necessitasque dominatur.*

Homines autem amentes brutis, in ista vi & compulsione [*Arist. lib. 7. c. 7. Ethic.*] quã patiuntur, exæquat Aristoteles. Possumus & iisdẽ infantes, somniantes, & motus nostros primò primos comparare.

CAPUT XIX.

An in libertate essentiali sit aliqua indifferentia.

NE metuant palliduli illi qui ita abhorrent nomen necessitatis, etiam necessitati naturalis inclinationis, quæ actui essentialiter libero interdum miscetur, sua indifferentia inest.

Hanc autem, vt ab accidentali contrarietatis & contradictionis indifferentiâ distinguamus, ***radicalem indifferentiam*** appellare rectissimè possumus.

Eam verò in actu aliquo essentialiter libero, qui accidentali illa contrarietatis & contradictionis indifferentiâ careat, vt exẽpli gratiâ, in amore beatifico, sic ostendere possumus. Nam eo ipso quo beata voluntas non à natura vt brutum, in illum actũ amoris, necessitate coactionis effreni impellitur, sed ex perfectissimo rationis & prudentiæ iudicio seipsam ad sic amandum determinat, satis intelligitur, in isto modo agendi intimam aliquam indifferentiam latêre; propter quam voluntas illum actum deserere & alium assumere posset, si prudentia intellectûs rationes aliquas hoc faciendi ei proponeret.

Hoc autem fieret, si Beato inferioris meriti, aucto lumine ostenderentur in Verbo plures, aut eminentiores rationes amandi Deum. Tunc enim iudicaret, amorem suum etiam eleuandum esse, & deserto priori, alium altiorem & lumini suo nouo proportionatum eliceret, sicque ad accidentalem & actualem indifferentiam pertingeret. Quòd enim nunc talis Beati fruitio, vel amor indifferentiâ contradictionis actuali careat, ex penuriâ rationum prouenit; quia nullas intellectus voluntati proponere potest, cur actum illum, in quo dulciter quiescit, abijciat & alium sibi adsciscat.

Ex

Digitized by Google

Ex qua ratiocinatione facilè iam intelligitur, quomodo indifferentia famosa contrarietatis & contradictionis, accidentaria tantùm sit ad veram rationem libertatis, & eidem actui libertate essentiali libero accedere, aut ab eo recedere possit. Nam per hoc solùm, quòd intellectus paratas rationes mutandi actum voluntatis habeat, aut non habeat, non variatur intrinsecus & essentialis modus agendi & se mouendi voluntatis, ideoque sub accidentali indifferentia eunte & redeunte manet immobilis eadem indifferentia essentialis liberi actûs. Ac nisi essentialis ista indifferentia, seu modus se mouendi & tendendi in obiectum, ad veram propriamq; libertatem sine indifferentia contradictionis sufficiat, Deus in amore creaturarum plerumq; liber non erit. Nam infinita sapientia optimum semper voluntati diuinæ proponit. Cùm ergo amat, optimum est amare, nec amorem suspendere potest, nisi saltem pares sint ad non amandum rationes. Aliàs enim insipienter suspenderet. Insipientia autem in illam sapientiam cadere non potest. Hæc autem, vel similia altè & subtiliter introspiciens Scotus, amorem & fruitionem Beatorum non tantùm *aliqualiter*, sed etiam *simpliciter contingentem* esse dixit.

Cum enim docuisset, voluntatem Beati non esse impeccabilem, *quia non est causa intrinseca prohibens potentiam peccandi omnino reduci ad actum, sed per potentiam extrinsecã Dei præuenientem illam voluntatẽ, esse impossibilem potentiam propinquam ad peccandum*: subdit postea, quòd *propter determinationem qua voluntas Beati se determinat in suo ordine, sit aliqualis contingentia. Sed quòd effectus*, inquit, *qui prouenit ab ipsa & alijs, non omnino contingenter proueniat ex contingentia eius, hoc ideo est, quia alia causa prior*, nempe Deus, *est determinata ad illum effectum.* Scot. 4. d. 49. q. 6.

Nec tamen subtilitas Scoti hìc adhuc stat & quiescit, sed progressa vlteriùs, contingentiam non tantùm *aliqualem*, sed etiam *contingentiam simpliciter* reperit.

Aliter enim dici potest, inquit, *quòd contingentia voluntatis in suo ordine concludit contingentiam simpliciter effectûs. Quia cuiuscumque est contingentia, concludit contingentem effectum, & per consequens, simpliciter contingens est quòd non peccet. Tamen nunquam eueniet, quia causa superior semper praeseruat.*

Omnis verò hæc subtilitas profundissimis nititur fundamentis peculiaris istius modi agendi voluntatis, in quo essentialem, seu à necessitate coactionis libertatem constituimus, & quem Scotus à voluntate connaturali modo agente adeò inseparabilem esse post S. Bernardum censuit, vt vere dixerit Caietanus, *Scotum niti probare, quòd voluntati repugnet, habere actum elicitum naturalem omnino,* siue non liberum. Huic enim modo agendi volũtatis, sicuti indifferentia quædam (quam radicalem appellauimus) inseparabiliter adhæret; ita etiam contingentia quædam itidem radicalis, ab actu libero similiter inseparabilis. Quæ tamen ad actualem etiam contingentiam peruenire posset, si iuxta sententiam Scoti, Deus voluntatem Beati non custodiret; aut certè si mutato rerum ordine, rationes nouæ ab intellectu voluntati suggeri possent, propter quas istum beatifici amoris actum in odium conuertere, aut suspendere, satius esse iudicaret.

Caiet. I. p. q. 82 a. I.

Hinc etiam contra nouos Peripateticos, Scotus amorem illum non solùm contingentem, sed etiam *laudabilem* esse dicit, *pro quanto ipsa voluntas in suo ordine contingenter se determinat.*

Neoterici verò illi, sicuti nullam in actu libero, præter accidentariam contrarietatis & contradictionis, indifferentiam imaginari possunt, aut volunt; ita nullam quoque contingentiam, præter actualem, quæ indifferentiam contrarietatis & contradictionis consequitur, agnoscunt. Vnde ab amore beatifico omnem contingentiam exclusam volunt, quia stante hoc ordine rerum à Deo constituto, ipso facto desinere non potest ille amor, ideoque S. Thomas alicubi

Digitized by Google

alicubi dixit, *impossibile esse, vt qui videt Deum per essentiam non diligat ipsum*; licet si modum intrinsecum, quo à voluntate creata egreditur, cum eodem S. Thoma & Scoto inspiciamus, contingentia etiam actualis ei non repugnet; ideoque radicalem, sed impeditam, habere meritò dici potest. *S. Tho. 1. p. q. 60. a. vlt.*

CAPVT XX.

An per libertatem essentialem, actus sit in potestate voluntatis.

HInc planè consequitur, non solùm per indifferentiam accidentalem contrarietatis & contradictionis, sed etiam per libertatem essentialem ac indifferentiam quæ ei inseparabiliter adhæret, actum dici & esse in potestate, & dominio voluntatis. Ideo enim Aristoteles, quasi eadem prorsus sint, ἐφ' ἡμῖν εἶναι *in nobis*, seu *in potestate nostra esse*, καὶ ἑκούσια *& esse spontanea*, perfectâ nempe & voluntariâ sponte: *Quorum*, inquit, *principia in nobis sunt, etiam ipsa in nobis & spontanea sunt*. Imò, vt proximo Cap. ostendam, per solam indifferentiam accidentalem, actus nec liber, nec in potestate voluntatis propriè esset, nisi indifferentiæ accidentali essentialis etiam indifferentia misceretur. *Arist. lib. 3. c. 7. Ethic.*

Philosophiam autem istam esse apertè S. Augustini patet. Nam cùm Pelagius dixisset, *Quia quod loquor meum est, vtrumque facere possum, id est, & loqui, & non loqui*: ac posteà, *Quia non peccare nostrum est, possumus peccare, & non peccare*; vbi ex eo quòd vnum extremum contrarietatis, aut contradictionis sit nostrum, seu in nostra potestate, colligit & alterum seu vtrumque esse in nostra potestate; refellens eum S. Augustinus, *Quid si alius dicat*, inquit, *quia nolle infelicitatem nostrum est, possumus etiam & nolle & velle.* *S. Aug. c. 45. & 49. de nat. & grat.*

velle: Et tamen eam velle omnino non possumus, Quis enim vllo modo possit velle esse infelix? Et pergit. *Deinde, quia Dei multo magis est, non peccare, num audebimus dicere, eum & peccare posse, & non peccare? Absit à nobis, vt Deum peccare posse dicamus.* Ecce, quomodo ex eo quòd non peccare *sit Dei*, seu in Dei potestate, cuius voluntas liberè abstinet ab omni malo, & tamen non sit in eius potestate alterum contradictionis extremum, quod est, velle malè agere.

Et sanè si S. Thomas, Scotus, & SS. Patres, vt antè demonstrauimus, in actu aliquo necessario necessitate naturalis inclinationis voluntatis, veram & essentialem quandam libertatem admittant, concedere quoque debent talem actum esse in potestate voluntatis; cùm voluntatem vniuersos suos actus liberos in dominio & potestate suâ habere, omnes cum Aristotele fateantur. Vnde pro iisdem passim vsurpant, actum liberum esse, & esse sub dominio ac potestate voluntatis. Et hinc negant, bruta habere affectus suos in potestate, quia appetitus eorum caret naturali seu essentiali libertate. Quare verò caret? Quia *liberum est, quod est causa sui*, ait S. Thomas; *quod ergo non est sibi causa agendi, non est liberum in agendo. Vnde non habet dominium sui actûs.* Tota ergo & vnica ratio, cur voluntas hominis libera sit, & per consequens domina sui actûs, est, quia à seipsa mouetur, nec cogitur à natura sicut brutorum appetitus. *Libertas enim voluntatis*, vt alibi dicit, *violentiæ vel coactioni opponitur.*

S. Tho. lib. 2. c. 47. 48. contra Gent.

Idem q. 10. a. 2. de Potent.

Vnde per remotionem illam coactionis, idem S. Thomas liberum arbitrium ab appetitu brutali essentialiter distingui alibi docet. Explicans enim liberi arbitrij definitionem à Magistro Lombardo acceptam, *Facultas rationis & voluntatis*, & peculiarem rationem *facultatis* in libero arbitrio ceteris potentijs non communem, ingeniosè scrutans, *facultatem*, quasi *facilitatem*, dictam esse existimat: sed *facultatem*, inquit, *non propter appositionem adiutorij, sed quæ est per remo-*

Idem q. 24. a. 4. de Verit.

per remotionem impedimenti coactionis. Facultas verò quæ est per remotionem coactionis, addit determinatam naturam potentiæ. Quod tamen pertinet ad ipsam naturam potentiæ, sicut differentia quæ superadditur generi pertinet ad naturam speciei. Itaque ex mente S. Doctoris, per negationem illam coactionis explicatur positiua aliqua differentia, qua liberum arbitrium in sua specie constituitur, & ab appetitu brutorum essentialiter distinguitur.

Ab ista etiam incoactibilitate (sic enim differentiam illam appellemus) facultas liberi arbitrij habet, ut actus eius sint in eius potestate. Nam *ideo S. Augustinus propriè liberum arbitrium facultatem nominauit, ait idem S. Thomas, quia facultas hoc importare videtur, quòd aliquid sit in potestate facultatem habentis.* *Ibid.*

Hanc etiam veritatem egregiè asseruit Cicero, cùm dixit, *Ad animorum motus voluntarios non esse requirendam externam causam. Motus enim voluntarius*, inquit, *eam naturam in se ipse continet, vt sit in nostra potestate nobisque pareat: nec id sine causa. Eius enim rei causa, ipsa natura est.* Natura, inquam, propria & peculiaris voluntatis & animæ rationalis, quæ seipsam rationabiliter mouet præcedente iudicio practico sui intellectûs, & positis alijs, sine quibus actus eius in lucem exire nequit. *Cic. lib. de fato.*

Quod si contingat, necessitatem aliquam actui libero misceri, qualis est *beata necessitas*, vt S. Augustinus loquitur, beatifici amoris: illa tamen non est coactionis, sed naturalis inclinationis necessitas, cui *libertas, laus, & meritum* non repugnant, vt toties inculcat S. Thomas; ideoque talis actus in potestate & dominio voluntatis permanet, quidquid recentes arbitrij libripendes reclament. Vnde *etiamsi liberum Christi arbitrium*, inquit S. Thomas, *esset determinatum ad vnum numero, sicut ad diligendum Deum (quod non facere non potest) tamen ex hoc non amittit libertatem, aut rationem* LAVDIS, *siue* MERITI: *quia in illud non coactè, sed* *S. Tho. 1. p q. 82 a. 1. Lib. 3. c. 138. contra Gent. In 3. d. 18. q. 1. a. 2. &c.*

 spontè

Digitized by Google

sponte tendit, & ita est ACTVS SVI DOMINVS. Quid expressius, quid manifestius potuit? Nec obscurè etiam S. Augustinus, probans fidem esse in potestate voluntatis. Vide,
S. Aug. c. 31. de spirit. litter. inquit, *vtrum quisque credat, si noluerit; aut non credat, si voluerit. Quod si absurdum est (quid est enim credere, nisi consentire verum esse quod dicitur? Consensio autem vtique volentis est) profectò fides in potestate est.* Vbi sufficit ei consensionem esse volentis, vt dicatur esse in potestate voluntatis. Nam ipse consensus voluntatis primò & immediatè est in potestate voluntatis, & eo mediante ceteri actus quos voluntas libero consensu imperat.

Idem lib. 1. c. 1 Retract. Vnde ipse disertè alibi: *Non dicimus esse in nostra potestate, nisi quod cùm volumus, fit: vbi priùs, & maximè est ipsum velle. Sine vllo quippe interuallo temporis præstò est voluntas* (volitio) *ipsa, cùm volumus.* Ipsa igitur volitio per se & proximè est in potestate facultatis animæ, quæ appellatur etiam vsitatiùs à Philosophis voluntas, & per illam volitionem in eiusdem potestate sunt ceteri hominis motus qui ex volitionis illius imperio fluunt. Si verò ad volitionem suam eliciciendam voluntas sola non sit sufficiens, sed aliquod
Idem. Epist. 89. præterea comprincipium exigat, actus ille in potestate quidem voluntatis dicetur esse, sed non in eius solius. *Vt quid enim dixit Apostolus, Deum facere*, inquit Augustinus, *si hoc sine ipsius adiutorio in sola nostra est potestate?* Similiter nec causæ primæ ad agendum concursus quidquam obstat, quo minùs volitio nostra sit in potestate nostræ volũtatis, etiamsi
S. Tho. q. 24. a. 1. de Verit. non solius. *Nec enim oportet quòd ab instrumento omnino excludatur ratio libertatis*, ait S. Thomas, *quia aliquid potest esse ab alio motum, quod tamen seipsum mouet: & ita est de mente humana.*

CAPVT

Digitized by Google

CAPUT XXI.

Indifferentia contrarietatis & contradictionis non meretur nomen libertatis, nisi libertas essentialis ei coniuncta sit.

NEmo indifferentiam aliquam in actionibus brutorum negare potest *Est enim indifferentia ad agere & & non agere in bruto*, ait S. Thomas, *considerata ipsa actione secundum seipsam.* Ac deinde: *Bruta beneficijs inducuntur, & flagellis prohibentur, propter indifferentiam actionum.* S. Tho. q. 24. a. 2. de Verit.

Dubitat enim famelicus canis, an baculi ictum fugere, an eo contempto ollam inuadere velit. Dubitat simia an castaneas ex ardenti cinere manu sua euoluere, an potiùs dolorem ignis vitare malit. Aut certè, conspectâ vicinâ fele, tertium ei occurrit, quo & voluptate fruatur, & dolore careat: manu felis carbones dimouet, & cineres dissipat. Cur igitur nulla ibi libertas, si inter duo ambigere, & unum tandem amplecti, sit liberum esse?

Bruta tamen libertate carent, quia licet interdum sic vacillent & indifferentiâ quadam suspendantur, non mouēt se tamen libertate essentiali in hanc aut illam partem, sed quocumq; declinant, non à se, sed ab impetu naturæ quasi extunduntur. Homo enim indifferens aut hàc, aut illac seipsum per voluntatem flectit, brutum aut huc, aut illuc ab alio quodammodo protruditur. Itaque sub accidentalem indifferentiam contrarietatis aut contradictionis libertas & indifferentia essentialis subintrare debet, per quam voluntas ex illa accidentali indifferentia in alterutram partem ῥοπῇ *spontanea inclinatione*, non ὁρμῇ *impetu effreni*, vt bruta solent, se determinet. In hoc enim spontaneum perfectum & humanum à spontaneo imperfecto & brutali distinguitur, vt toties iam antè diximus. Homines

Digitized by Google

propria sponte se agunt, bruta licet appetitiones suas producant, in eas tamen à natura aguntur & præcipitantur. Pulchrè S. Thomas: *In brutis fit impetus ad opus per instinctum naturæ; quia appetitus eorum statim apprehenso conuenienti vel disconuenienti, naturaliter mouetur ad prosecutionem vel fugam. Vnde ordinantur ab alio ad agendum, non autem ipsa seipsa ordinant ad actionem.* Alibi verò hunc ordinatum & harmonicum agendi modum quem seruant, & à summo Opifice impressum bruta habent, ordini & motibus horologiorum elegantissimè comparat. Veluti enim ratio quædam horologio inesse videtur, quæ motus eius artificiosè administret; cum tamen non nisi sit ratio externi artificis, quæ rotas & pondera disposuit; ita bestiæ (præsertim quæ prudentes & sagaces, vt elephanti, canes &c. appellantur) rationem interiorem quæ ipsas moueat habere videntur, cum tamen flexus & figuræ illæ actionum à sola ratione supremi artificis, qui naturales inclinationes dedit, aut ab hominibus qui motus artificiales docuerunt, quodammodo imprimantur.

S. Tho. 1. 2. q. 17. a. 2.

Idem 1. 2. q. 13. a. 2.

Libertas verò & indifferentia essentialis humanæ voluntatis vsque ad indifferentiam accidentalem perueniet, si intellectus rationes habeat, quibus voluntas moueri valeat, vt contrarium amplectatur, aut ab amore cesset. Vnde cum rationes istæ à varijs circumstantijs & euentibus sæpe pendeant, fieri potest, vt uno tempore voluntas libertate accidentali contrarietatis aut contradictionis sit libera, alio verò tempore solâ libertate essentiali contenta sit. Vt si anima sancta amorem huius vitæ, libertate contradictionis & contrarietatis liberum, in vitam beatam continuet, ubi exutâ hac contrarietatis & contradictionis libertate, solam essentialem libertatem retineat. Quando autem contrarietatis aut contradictionis, non tantùm indifferentiam, sed libertatem appellare solemus; non nudam indifferentiam, sed libertate essentiali quasi suffultam

suffultam intelligimus. Nam sine ista essentiali libertate, indifferentia contrarietatis & contradictionis nec rationem veræ libertatis habet, nec nomen meretur, vt iam diximus.

Vnde etiam noui libertatis libripendes, non possunt in mera & formali illa voluntatis indifferentia, suspensione, æquilibrio, vacillatione, nutatione &c. propriam rationem libertatis constituere, sed in potentiâ geminâ voluntatis ad agendum & non agendum libertate essentiali, proximè tamen in vtrumque, vt aiunt, expeditâ. Differuntq; solùm in hoc à nobis: quod nullum actum voluntatis liberum agnoscere velint, nisi emanet à voluntate ita in vtrumque paratâ & proximè accinctâ, vt nullâ omnino, ex parte intellectûs aut voluntatis mutatione factâ, tam possit voluntas in contrarium latus quàm in illud quò se demittit, vergere. Hoc verò vt multis Cap. antè ostendimus, non tantùm Aristoteli, S. Thomæ, SS. Patribus, toti Philsophiæ morali, sed apertæ experientiæ putamus repugnare. Nam etiam qui in vtrumque latus deliberant, tandem intellectu & prudentiâ in alterum se resoluunt, vnicumque illud voluntati eligendum proponunt; nec ferè vnquam, & fortè nunquam, duo iudicia vltima practica simul sunt in eodem intellectu; quasi duæ lucernæ, quarum vnâ vel alterâ indifferenter prælucente, voluntas cæca hanc vel istam viam proximè posit carpere. Nam finitâ consultatione, in momento quo sententia fertur, omnes ceteræ lucernæ & cogitationes de alijs medijs eligendis, præter vnam, extingui finuntur. Vnde licet remaneat in voluntate potentia aliam viam ingrediendi; non tamen est proximè expedita, quia lucernam eo instanti nullam habet, quæ gressus eius antegrediatur. Sed videamus quomodo quidam, qui videntur ceteris acutiores, salebram istam saltent, & ex veritatis reti se expediant.

Digitized by Google

CAPUT XXII.

Etiam ad libertatem contradictionis, siue ad liberam suspensionem actûs, opus est iudicio aliquo peculiari intellectûs.

CVm ergo quidam viderent ad paucissimos, aut fortasse nullos omnino voluntatis actus, libertatem redigi, & strangulari ab illis trutinatoribus qui eam se relaxare credunt; speculati sunt, ad libertatem saltem contradictionis non opus esse pluribus iudicijs intellectûs, sed per vnicum iudicium de bonitate obiecti amabilis, voluntatem sufficienter suspendi inter amorem & liberam eius cessationem.

Vnde licet admittant, necessarium esse aliud iudicium, vt voluntas actu positiuo aliquid aliud amet, non tamen vt actum suum subducat, aut ab initio eum suspendat. Sic enim philosophatur nobilis quidam inter ipsos. *Licet intellectus de vno tantùm obiecto cogitet & illud iudicet conueniens & dignum vt appetatur, & quantum potest practicè inuitet voluntatem vt illud appetat; adhuc potest voluntas pro sua libertate illud non amare. Quia ad non exercendum actum præcisè, non indiget alio iudicio, sed satis est, vt per illud quod homo nunc habet, non iudicet hoc bonum esse hic & nunc sibi necessariò diligendum.*

Suar. tom 1. d. 19 sect. 6. Metaph.

Hæc tamen opinio, quamuis primâ fronte satis probabili occurrat, cum Aristotele tamen, verâ Philosophiâ, vt existimo, & communi sententiâ Theologorum pugnat.

Philosophi enim & Theologi passim docent, intellectum, siue rationem, esse radicem vtriusque libertatis, tam contradictionis quàm contrarietatis; quia intellectus non solùm de actu positiuo voluntatis, sed etiam de cessatione eius, iudicium ferre potest.

Potest

Digitized by Google

Potest enim homo velle & non velle, ait S. Thomas, *potest etiam velle hoc aut istud. Cuius ratio ex ipsa virtute rationis accipitur. Quidquid enim ratio potest apprehendere vt bonum, in hoc voluntas tendere potest. Potest autem ratio apprehendere vt bonum, non solùm hoc quod est velle, sed etiam hoc quod est non velle.* S. Tho. 1. 2. q. 13. a. 6

Vnde ipse & Theologi passim dicunt, ideo Beatos non posse à visione, aut amore beatifico liberè cessare, quia non possunt cessationem illam sub aliqua ratione boni apprehendere, id est iudicare. Apprehensionem enim Philosophi ferè indifferenter pro omni, etiam iudicatiua operatione intellectûs vsurpant.

Hinc cum sibi alicubi obiectasset S. Thomas, In libertate arbitrij positum esse, vti habitu, vel non vti, Ergo Beati possunt non vti lumine gloriæ, aut charitate, quæ sunt gratiæ quædam habituales, respondet: *In potestate liberi arbitrij esse non vti habitu, quando potest hoc ipsum quod est non vti habitu, sibi proponi sub specie boni. Quod de gratia in Beatis accidere non potest.* Idem q. 24. a. 8. de Verit.

Et inter capitales Thomistas Capreolus: *Clarè videns Deum*, inquit, *non potest quantum ex se est iudicare quòd bonum esset suspendere illum actum fruitionis, ad experiendam propriam libertatem* (nulla enim alia ratio suspendendi, quàm ista, Capreolo occurrebat) *quia istud iudicium contrariatur iudicio, quo iudicat tale obiectum pro tunc esse diligendum.* Vbi negat posse suspendi illum actum, quia deest iudicium practicum, quo propter aliquam conuenientiam suspendendus esse iudicetur. Capreol. 1. d. 1. q. 3.

Et Soncinas: *Quidquid potest voluntas, sub ratione boni apprehenditur, sed cessare ab actuali amore diuinæ essentiæ clarè visæ, non apprehenditur vt bonum, Ergo &c.* Soncin. ibid.

Et Medina: *Voluntas non potest aliquid velle, nisi sub ratione boni; sed Beatus videt apertè quòd nō sit aliqua ratio boni propter quam à gaudio beatitudinis desistat; ergo non potest illud velle.* Medin. 1. 2. q. 4. a. 1.

In qui-

In quibus verbis aduerte, Medinam & omnes alios passim, pro eodem habere, *desistere à gaudio*, & *velle desistere* per actum volendi positiuum, quo ipsa desitio appetitur.

Vnde iam nascitur nouum argumentum. Nam certum est, positiuum actum volendi ipsam desitionem seu suspensionem actûs, requirere iudicium aliquod particulare de bonitate suspensionis, cùm cæca voluntas nullum obiectum positiuum aut negatiuum appetere valeat, nisi cognitum. Igitur etiam mera suspensio ac pura omissio actûs voluntatis, si sit libera, exigit rationem aliquam & iudicium intellectûs, cur conueniens sit talem actum suspendere. Nam suspensio voluntaria ac libera censetur suo modo etiam vitaliter à voluntate effici, ideóque in tali etiam effectu voluntas directione intellectûs indiget. Vnde is qui actum suspendit, rogatus, rationem aliquam semper reddere poterit, cur id fecerit. Nec enim vnquam sola voluntas pro ratione esse potest. Vnde & pessima illa Xantippe marito & toti familiæ tyrannicè apud Satyricum imperitans, quando clamat,

Iuuen. *Hoc volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas,*

habet rationem facti sui, sed eam quærentibus superba reddere contemnit. Rationes autem illæ, quas ad amandum obiectum, voluntati intellectus proponit, ad suspensionem liberam amoris non sufficiunt, quia alia prorsus & opposita est bonitas & conditio bonitatis obiecti positiui, aut positiui actûs, alia priuationis; velut alia est conditio visûs & cæcitatis, alia vtilitas diei & noctis.

Et sensum hunc Philosophorum communem esse, inde patet: quòd libertatem contradictionis ideo negent esse in brutis, quia negatio appetitionis, inquiunt, non continetur sub obiecto brutalis imaginationis, ideóque bonitas eius ab imaginatione appetitui bruti proponi non potest.

Potest tamen actus liber humanæ voluntatis, sine iudicio intellectûs præeunte, per somnum, vel alias causas naturales extingui. Sed illa non est libera cessatio & suspensio actûs, sed solùm simplex & naturalis interitus; sicut etiam

etiam interit actus appetitûs bruti, cùm in somnum incidit, aut aliâ de causâ extinguitur lumen actûs imaginationis, quo se brutum in appetendo, quoquo modo dirigebat.

Hinc tandem etiam Suarez senex Theologus, seipso Metaphysico doctior factus, in nostram & communem viam reuersus, *Licet ad suspendendum actum*, inquit alibi, *non intercedat positiua volitio formalis, intercedit tamen virtualis, ratione cuius dicitur illa suspensio voluntaria ac libera. Et ideo ad illam etiam necessarium est, vt illa suspensio sub aliqua ratione boni seu conuenientis repræsentetur.* Vnde tacitè reuocare videtur, quod in Metaphysica asseruerat, Ad suspensionem liberam sufficere, vt *iudicium vnicum quod homo nunc habet, non iudicet hoc bonum hîc & nunc esse sibi necessariò diligendum.* Hoc autem profectò, vt iam ostendimus, non sufficit. Nam bonitas obiecti amabilis, de qua sola intellectus cogitat, tantùm allicit voluntatem, vt actum suum in eam exerat, aut continuet, non vt eum suspendat, aut retrahat. *Suar. lib 3. c. 3. de Angel*

Doctrina ista Suarij hoc etiam falsi, vt puto, admiscet: quòd existimet, quotiescumque voluntas necessitatur, oportere ei ab intellectu ostendi aliquam necessitatem ex parte obiecti, propter quam necessariò in amorem rapiatur. Quod statim apparet falsum in fatali raptu, quo Deus voluntatem cum plena aduertentia rationis, nihil de aliqua necessitate cogitantis, ad amandum cogere posset, vt cap. XVIII. disseruimus. Item in motibus primò primis voluntas nostra necessitatur & cogitur ferè sicuti bruta, cùm tamen intellectus plerumq; nullam in tali obiecto amandi necessitatem esse iudicet, sicut re vera, vt plurimùm, nulla est. Vnde si iudicaretur inesse, iudicium esse falsum: ac consequenter, quotiescumque Deus motibus primò primis voluntatem hominis præuenit & excitat, semper intellectui iudicium falsum & lumen fatuum infundere deberet, quandocumq; in obiecto, ad quod amandum excitat, nulla est amandi necessitas. Bruta quoque, pueri, amentes, somniantes, in appetitibus suis necessitantur, etiamsi nulla in ipsis sit cognitio necessitatis.

Digitized by Google

CAPUT XXIII.

Incommoda quæ secum vehit pensilis nouorum Peripateticorum libertas.

CVm igitur ad liberam suspensionem actûs voluntatis requiratur aliquod iudicium intellectûs, quo eius vtilitas, aut bonitas repræsentetur voluntati, non secus ac ad eliciendum positiuum actum amoris, profectò non minùs ad libertatem contradictionis, siue ad volendum & non volendum, opus erit duplici iudicio intellectûs vtrumque extremum ostendentis, quàm ad libertatem contrarietatis, siue ad volendum hoc, & volendum contrarium eius.

Hinc quia noui arbitrij libripendes nullam aliam libertatem agnoscunt, nisi quæ, vt minimum, habeat indifferentiam contradictionis, quâ voluntas in vtramque partem contradictionis proximè & eodem momento expedita sit; concedere etiam debent (quod quidā vltrò totis viribus nobis obtrudunt) nullum actum esse liberum, nisi qui à voluntate gemino vtrimque iudicio sic accincta & suspensa elicitur. Vnde hæc eos incommoda & absurda sequuntur.

In primis, rarissimos aut nullos, vt aliquoties dixi, liberos & humanos actus eliciemus; quia non experimur nos duobus iudicijs in vtramquè partem accinctos esse eodem momento, quo aliquid appetimus. Imò Bellarminus & alij, vt superiùs à nobis dictum, duo talia iudicia vltima practica in vno intellectu, eodem instanti coëxistere posse, tanquam impossibile respuunt.

Secundò virtutum laudes & merita extinguunt. Sine libertate enim nulla laus, nullum est in actibus virtutum meritum. Nullus verò, si ipsis credimus, virtutis actus est liber & humanus, nisi eodem momento quo elicitur, intellectus

tellectus de turpitudine contrarij vitij, aut de suspendendo actu simul cogitet & iudicet; quod sanctissimi quique minimè omnium faciunt.

Vnde tertiò, pessimè faciunt, qui meditando & contemplando Deum, *ad id quod mente contingunt, totam animam suam colligunt, ibique stabiliter infigunt*, vt loquitur S. Augustinus. Falsumque erit quod addit, *Meliorem esse animam, cùm in contemplatione summæ sapientiæ, obliuiscitur sui præ charitate incommutabilis Dei.* S. Aug. lib. 2. c. 16. de lib. arb.

Ista quippe totius animæ in vnum collectio & sui aliarumq; rerum præter vnam obliuio, secundũ nuperam istam Philosophiam, hoc efficiet, vt voluntas quidem ardeat amore vnius dilecti, qui intellectum totum & totam voluntatem occupat; sed amor iste nullius laudis, nullius meriti particeps erit, voluntate non æquilibri aut inter amandum & non amandum suspensâ, sed per vnicum iudicium ad amandum determinatâ, & unico illi obiecto amabili infixâ, nec ad aliquid aliud circumspiciente: cùm tamen in ista Philosophia, circumspicere & distrahi ad multa simul cogitanda deberet, vt suspensa & libera esset.

Quid ergo putant? Beatissimam Matrem, aut Christum Filium, quando hic in terris implebant præcepta Dei Patris, cogitasse etiam de non implendo, vt in voluntate implendi, liberi esse possent? Voluntatem suam inter facere & non facere suspendisse, vt liberè facerent? Atqui omittere præcepti obedientiam sine peccato non poterant: peccati verò, tantâ gratiâ præuenti & muniti, incapaces erant. Imò addo, quòd etiãsi Christus peccati capax fuisset, apertã tamen contradictionem implicet, eum primo instanti existentiæ suæ agendo aut omittendo, peccasse. Cùm enim in gratia sanctificãte creatus fuerit, si primo instanti peccasset, habuisset & non habuisset eodem momento gratiam sanctificantem; quia peccatum mortale secum gratiam istã intra idem instans non compatitur. Vnde Christus (& eadem

 est ratio

est ratio de Angelis, in gtatia sanctificante creatis) primo instanti per actum liberum amoris, diuinum præceptum impleuit, quo tamen instanti, sine implicantiâ contradictionis, omittere eum, substituendo in locum eius priuationem actûs, non potuit.

S. Tho. 3. d. 18. q. 1. a. 2. Credo ergo, & repeto illud S. Thomæ: *Etiamsi liberum Christi arbitrium esset determinatum ad vnum numero, sicut ad diligendum Deum (quod non facere non potest) tamen ex hoc non amittit libertatem, aut rationem laudis siue meriti: quia in illud non coactè, sed spontè tendit* (spontaneo nempe humano, non brutali) *& ita est actûs sui dominus.* Si determinatus ad amandum erat, non erat indifferens ad non amandum. Et tamen liber erat, quia perfectâ & humanâ sponte sine coactione violentâ, fatali, aut brutâ, hoc est ῥοπῆ, non ὁρμῆ se ad amandum mouebat.

Quartò, quando Deus voluntatem humanam excitare volet ad liberum diuini amoris consensum, non tantùm debebit intellectum iudicio practico, de exercendo amore, illuminare, sed iudicium (si homo tunc illo careat) de odio Dei exercendo, aut de suspendendo amoris actu procurare. Sine enim tali iudicio, voluntas eo instanti vtrimque suspensa & librata esse non potest: quod tamen ad libertatem consensûs Philosophia ista requirit.

Quintò, plurimi actus humani, vt vota Religiosorum, contractus Matrimoniales, administrationes Sacramentorũ, &c. irriti sæpissimè erunt, si vera est illa pensilis arbitrij Philosophia. Nam quando actus illi exercentur, non rarò homines ad vnum, quod agunt, attenti sunt, nec de contrario, aut suspensione actûs vllatenus eo temporis momento cogitant. Vnde nec in exercitio isto liberi erunt, si axiomati Io. Salas credimus: *Necessitatur voluntas* inquit, *quoties intellectus nullum examen facit de bonitate & malitia obiecti, sed præcisè cogitat de bonitate, vel præcisè de malitia.* Vnde eiusmodi omnes actus pro primò primis & indeliberatis habet.

Io. Salas 1. 2. Tract. 3. d. 1. sect. 12.

Quasi

Quasi verò ad libertatem actûs, deliberatione opus sit quando bonitas ipsa apertè & vltrò in oculos mentis incurrit, & nisi stultè & ex superuacuo adhibeatur, amor talis boni liber futurus non sit. Si verò tales actus in se formaliter liberi non sint, irriti & inualidi erunt, cum ex sententia communi Theologorum, ad valorem libertas, non tantùm in causa, sed in se & formalis requiratur.

Sextò, plurima flagitia & grauissima peccata à culpa excusat ista Philosophia, ideóque non de nihilo, morum corruptela vocari potest. Nam quotiescumque ebriosi, scortatores, &c. flagitijs suis attentissimè operam dantes, de honestate contrariæ virtutis, aut de cessatione actûs non cogitabunt, nulli culpæ obnoxij erunt, quia pensili, circa vtrumq; contrarietatis, aut contradictionis extremum, libertate carebunt. Vnde silere talia flagitia in Sacramento Confessionis, tanquam motus primò primos poterunt. Nam licet plenissimâ rationis ad vnum aduertentiâ fuerint operati, nullo tamen contrarij aut contradictorij iudicio suspensi fuerunt, vt liberi essent. Et tamen quotusquisque est, præsertim ex proiectè & ex professo malis, cui inter medias, *quas ex electione & propter ipsas prosequitur*, voluptates, de virtute opposita, aut de cessatione in mentem venit? *Arist. lib 7. c. 8. Ethic.*

Dicamus ergo potiùs cum doctissimo Medina & passim melioribus Theologis: *Dum hanc vitam viuimus, omnis operatio humana libera est, quod vel sola experientia comprobatur. Est enim situm in nostra potestate, velle & non velle, amare & non amare.* Quod cùm nulla ratione verum esse possit, si pensilis illa indifferentia inter duo iudicia practica, ad omnem actum liberum necessaria sit, signum est, Philosophiam illam nouorum Peripateticorum falsam esse, & veri tantùm similitudine fallere. *Medin. 1. 2. q. 9. a. 4.*

CAPUT XXIV.

Sancti Patres olim voluntatem & liberum arbitrium indifferenter pro eodem vſurparunt, non malè tamen poſt Ariſtotelem S. Thomas iſta diſtinxit.

S. Auguſtinus & Patres Græci Latiniq́ue voluntatem, connaturali ſuo modo agentem, plerumque non diſtinguunt à libero arbitrio, ſed vtrâque voce vt ſynonymâ vti ſolent. *Patres quippe liberum arbitrium voluntatem eſſe definierunt*, inquit Damaſcenus. Teſtimonia ex Auguſtino & diſcipulis eius accumulare eſt ſuperfluum. Paſsim enim in libris contra Pelagianos omnibus Lectoribus attentis occurrunt.

Damaſ. lib. 3. c. 14. Orthod.

Quoties enim non dicit & iterat, Deum per liberum arbitrium gratiâ adiutum ab hominibus amari? Amor tamen iſte eſt amor vltimi finis, & actus voluntatis, prout Ariſtoteles eam à libero arbitrio diſtinguit.

Sed quia non tantùm electio mediorum ad finem, ſed ipſa intentio finis eſt libera; ideo non ſolùm voluntatis, ſed etiam liberi arbitrij nomen, non immeritò ad intentionem & amorem finis extendunt. *Vbi enim voluntas, ibi libertas*, inquit Bern. *Et hoc eſt quod dici puto liberum arbitrium.* S. Thomas verò Ariſtotelem ſecutus, ſicut in potentiâ intellectiuâ, intellectum & rationem; ita in appetitiuâ voluntatem & liberum arbitrium diſtinguit. Intellectus enim vocatur quatenus aſſentitur principijs per ſe notis, Ratio vero quatenus concluſionibus per ratiocinationem inde eductis. Simili autem modo, eadem potentia appetitiua appellatur voluntas, vt eſt principium amoris finis, liberum verò arbitrium, vt præuiâ arbitratione & conſultatione medium aliquod eligit. Vnde S. Thomas liberum arbitrium *vim electiuam*

S. Ber. de lib arb

Ariſt. lib. 3. c. 5. 6. Ethic.

electiuam esse definit. Sed ipsum audiamus. *Sicut ex parte apprehensionis intellectiuæ se habent intellectus & ratio, ita ex parte appetitûs intellectiui se habent voluntas & liberum arbitrium: quod nihil aliud est quàm vis electiua. Nam intelligere importat simplicem acceptionem alicuius rei. Ratiocinari autem propriè est deuenire ex vno in cognitionem alterius. Vnde propriè de conclusionibus ratiocinamur, quæ ex principijs innotescunt. Similiter ex parte appetitûs, velle importat simplicem appetitum alicuius rei. Vnde voluntas dicitur esse de fine, qui propter se appetitur. Eligere autem est appetere aliud propter alterum consequendum. Vnde propriè est eorum quæ sunt ad finem* Ac deinde concludit: *Vnde manifestum est, quòd sicut se habet intellectus ad rationem, ita se habet voluntas ad vim electiuam, id est ad liberum arbitrium.* S.Tho. 1.p.q. 83.a.4.

Hoc discrimen voluntatis & liberi arbitrij apud S. Thomam, multos non satis circumspectos fefellit, & in confusionem erroresque varios, abduxit. Et maximè istud aliud quod ex illo discrimine S. Doctor elicuit. Nempe, quòd sicut intellectus per ratiocinationem à principijs ad conclusiones, non autem per simplicem assensum principiorum, discurrere dicitur; ita potentia appetitiua propriè tantùm se moueat, quando ratiocinationem & consultationem intellectûs sequitur, & ex intentione finis progreditur ad medij electionem. Vnde sæpè negat voluntatem in amore finis seipsam mouere, sed solùm post consultationem in electione mediorum, id est, sub ratione liberi arbitrij, non sub ratione voluntatis consideratam.

Audiamus iterum ipsum. *Voluntas mouet seipsam, in quantum per hoc quòd vult finem, reducit seipsam ad volendum ea quæ sunt ad finem. Hoc autem non potest facere, nisi consilio mediante.* Idem 1. 2.q.a.4.

Et quidem adeò æstimat modum istum proprium se mouendi per liberum arbitrium, procedendo ab intentione finis ad electionem mediorum, vt solam electionem *ex voluntate*

Idem 1. 2. q. 1. a. 1. *luntate deliberatâ procedentem*, dicat esse *actionem propriè humanam*, *& cuius homo sit dominus*; ad intentionem verò finis voluntatem non moueri propriè à se, sed ab extrinseco, ideoque actionem illam non esse propriè humanam & liberam. Quod explicans Caietanus: *Hic actus*, inquit, *dici-*
2. q. 9. a. 4 *tur esse ab exteriori agente, eâ ratione qua motus grauis à generante dicitur*; *& meritò. Quia ad hunc actum voluntas non concurrit, vt propter finem agens, sed vt ad finem tendens ex directione superioris agentis, ordinantis ipsam in hoc. Et propterea hic actus, licet sit velle, & voluntatis, & à voluntate vt eliciente actum; non tamen est voluntarius, quia non est à voluntate vt applicante se ad volendum, sed naturalis: quia dator naturæ applicat ipsam mediante inclinatione data ad volendum.*

Breuiter ergo. Vt voluntas proprijssimè dicatur se mouere, debet sibi quasi impulsum quendam priorem dare & imprimere, & deinde ex eo ad aliquem alium actum vlteriorem se euoluere. Hoc autem facit solùm, quando ex præuia intentione finis, ad electionem mediorum, interpositâ intellectûs consultatione, transgreditur.

Tunc enim peculiari & magis proprio modo se applicat ad volendum vultque è seipsa, quando seipsam priori aliquo actu excitat, admouet, & quasi appropinquat alteri obiecto, vt ipsum propter finem amatum amplectatur. Vnde *certum est*, inquit Caietanus, *quòd ad volendum sufficit*
Caiet. ibid. *voluntas cum obiecto, sed ad volendum à se, ita vt ly, à se, dicat causalitatem applicantem seipsam ad volendum, non sufficit voluntas cum obiecto, sed exigitur voluntas præuolens finem. Et ratio huius est, quia velle à se non solùm importat velle, sed agere, seu mouere. Quod quia oportet fieri propter finem, præexigit naturâ vel tempore appetitum finis.*

Qua S. Thomæ doctrina quidam recentiores abusi, solum illum actum voluntatis liberum esse dicunt, quem consultatio & deliberatio intellectûs præcessit, id est, solam electionem mediorum, non finis intentionem, nisi eam

eam aliqua etiam consultatio antegrediatur. Quamuis si de fine instituatur consultatio, nondum consideretur vt finis, sed in tali consultatione solùm argumenta & media proponantur, quibus ad cognitionem eius, vt finis est, perueniri possit. *Quod enim accipitur vt finis*, ait Doctor Angelicus, *est iam determinatum. Vnde quamdiu habetur vt dubium, non habetur vt finis. Et ideo si de eo consilium habeatur, non erit consilium de fine, sed de eo quod est ad finem.* Ac deinde: *De fine non est consilium, sed supponitur in consilio, vt principium.* *S. Tho. 1. 2. q. 14. a. 2. 6.*

Vbi enim finis est semel determinatus, *neque Medicus, an sanare, neque Orator, an persuadere, neque ex alijs quisquam de fine consultat*, ait Aristoteles, *sed omnes cùm finem quendam statuerint, quomodo ac per quæ euenire is possit, deliberant.* *Arist. lib. 3. c. 5. Ethic.*

Illam verò doctrinam S. Thomæ, qua affirmare videtur intentionem, siue primum amorem finis non esse liberum, sed naturalem, sæpè oppugnat Scotus. *Natura & voluntas*, ait alicubi, *sunt principia actiua habentia oppositum modum principiandi; ergo cum modo principiandi voluntatis non stat modus principiandi naturæ.* Ex quo infert, voluntatem *non necessitate naturali velle finem. Quia eadem est potentia quæ vult finem, & illud quod est ad finem; ergo habet eundem modũ agendi: quia diuersi modi agendi arguunt diuersas potentias. Voluntas autẽ liberè operatur circa ea quæ sunt ad finem; ergo & circa finem.* *Scot. 1. d. 1. q. 4.*

Sed id re verâ non negat S. Thomas. Licet enim dicat, *primum motum voluntatis prodire ex instinctu alicuius exterioris mouentis, vt Aristoteles cõcludit in quodã cap. Ethicæ Eudemicæ*; non negat tamen esse voluntarium, voluntatemq; sufficienter se mouere, vt actus liber ille dicatur; imò apertè ibidẽ affirmat. Ait enim, ad voluntarium sufficere, *vt principium eius, sit intra, sed non oportere, vt hoc principium intrinsecum sit primum principium non motum ab alio. Vnde motus voluntarius etsi habeat principium proximum intrinsecum, tamen principium primum est ab extra.* Et deinde: *Voluntas quantum ad aliquid sufficienter se mouet & in suo ordine, scilicet sicut agens pro-* *S. Tho. 1. 2. q. 9. a. 4. Arist. lib. 7. c. 14. Eudem. S. Tho. ibid. ad 1. & 3.*

ximum.

Nam, vt acutè Caietanus, *dum vtor voluntate meâ, applicando illam ad amandum Deum, consentio in talem vsum, & eligo illum. Et sic vsus habet rationem actûs, & cum hoc* (id est, simul) *est volitus vt obiectum consensûs & electionis.* Vnde sicut in propriè dictâ electione medij ad finem, voluntas proprijssimè se mouet; ita in amore isto finis vltimi, propriè & quantum ad libertatem sufficit, etiam se mouet, quandoquidem amorem illum aliquo modo eligat, reflectendo se, saltem explicitè, supra ipsum, & ad eum eliciendum se applicando, vt mediante eo se vltimo fini coniungat. Deinde *propter nominum vicinitatem,* ait Eustratius, *in vsu quotidiano, velle & eligere, quasi idem significant. Vt cùm dicimus, eligo, seu propono agrum colere, id est, volo.*

Caiet. 1. 2. q. 9. a. 4.

Eustrat. lib. 3. c. 2. Ethic.

Nec doctrinæ superiori repugnat, quòd S. Thomas dicat, voluntatem ad primum amorem finis *ex instinctu* causæ superioris moueri. Hic enim instinctus non est impetui brutali similis, nec libertati voluntatis repugnat. Vnde cùm alicubi sententiam hanc Aristotelis laudasset, *His qui mouentur per instinctum diuinum non expedit consiliari secundùm rationem humanam, sed vt sequantur interiorem instinctum, quia mouentur à meliori principio, quàm sit ratio humana;* postea ait, hominem isto instinctu sic à Deo agi, *vt etiam agat in quantum est liberi arbitrij.* Vide ibi Medinam Magistri sui sensum optimè enarrantem.

Arist. lib. 7. c. 14. Eudem.

S. Tho. 1. 2. q. 68. a. 1.

Idem a. 3

CAPVT XXV.

Variæ definitiones potentiæ liberæ apud antiquos

Liberum arbitrium generaliter; prout tam amorem finis, quàm electionem mediorum respicit, id est potentiam liberam in genere, definit S. Prosper, *Rei sibi placitæ spontaneum appetitum.* Vbi *spontaneum,* perfectum intelligit, quo voluntas seipsam spontè in bonum mouet, non autem mouetur, & velut extruditur à natura, sicut

S. Prosp. c. 19. contra Collat.

S. Tho. lib. 1. c. 88. contra Gent. brutorum appetitus. Vnde S. Thomas probat in homine & Deo esse, liberum arbitrium, *quia ad volendum indicio rationis inclinantur, non impetu naturæ, sicut bruta.*

S. Anselm. c. 21. de concord. gra. Scotus & Henricus hanc ex S. Anselmo probant definitionem: *Instrumentum seipsum mouens*. Mouet quippe se voluntas (quæ sola est liberum arbitrium, siue potentia formaliter libera) longè aliter, quàm appetitus brutorum, vt iam proximè, & toties antè diximus. S. Bernardo post S. Augustinum ista placet: *Potentia quæ cogi non potest.* Si nempe modo naturæ suæ connaturali agat.

In 2. d. 24. Magister Lombardus hanc ex S. Augustini itidem doctrina format: *Facultas rationis & voluntatis.* Est enim potententia libera facultas rationis, siue rationalis, quia rationem in operatione sua tanquam ducem sequitur. Est etiam facultas voluntatis, quia actus quem elicit est proximè voluntarius, non necessitate coactus, illâ nempe necessitate, quam cap. XVIII. explicauimus.

Addit verò suæ definitioni Magister, *qua bonum eligitur gratiâ assistente, vel malum eâdē desistente.* Nō quasi hoc ad definitionis conuertibilitatem sit necessarium, sed vt indicet, à Theologo & Philosopho morali solùm attendi libertatē respectu boni & mali. Deinde vno verbo docere voluit quod S. Augustinus vbiq; inculcat; voluntatem expeditiorem esse ad malum quàm ad bonum; cùm ad volendum malum, sibi sufficiat, ad bonū verò gratiæ quodā complemēto indigeat. Hæ autem omnes sunt definitiones potentiæ liberæ libertate essentiali siue naturali, ideoq; conueniunt etiam voluntati beatæ respectu amoris beatifici, & omni voluntati quæ ex plena aduertentia rationis, & nullâ necessitate coactionis, in obiectum suum se inclinat, etiamsi actuali & accidentali contrarietatis aut contradictionis indifferentiâ, in eliciendo tali actu, careat. Istis verò definitionibus suppressis, alia iam per nouorum Peripateticorum Scholas ambulat, & regnum obtinet, quæ videtur ex verbis Aristotelis concinnata, ubi ait, *In*

Digitized by Google

ait, *In quibus in nostra potestate situm est agere, situm etiam est non agere*. Deinde: *Honesta & turpia agere, similiter & non agere, in nostra est potestate*. Vnde hæc potentiæ liberæ definitio fabricata est: *Potentia quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis, potest agere, & non agere*. *Arist. lib. 3. c. 7. Ethic*

Quis primus formulam istam verborum conceperit, est incertum. Vasquez Iac. Almaino tribuere videtur, qui anno MD. philosophabatur Parisijs. Sed antiquior est. Nam Thomas Braduardinus Archiepiscopus Cantuariensis, qui circa an MCCCXL. in præclaro Opere, DE CAVSA DEI CONTRA PELAGIVM, similis omnino definitionis meminit. Etsi liberum arbitrium generatim definire malit, *Potentiam rationalem rationaliter iudicandi, & voluntariè exequendi*. Sumitque non inconcinnè, liberum arbitriū, non pro vnica potentia, sed pro tota animi mente, quæ ex intellectûs & voluntatis cœtu coalescit. Vt propter intellectum, nominetur arbitrium, propter voluntatem verò, liberum. Vnde seruato naturali ordine, potiùs inquit, *arbitrium liberum, quàm liberum arbitrium* vocari debet. *Vasq. 1. p. d. 99. c. 7.* *Brad. lib. 2. c. 2.*

CAPVT XXVI.

Quis sensus definitionis vulgaris: Potentia libera est, quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis potest agere, & non agere.

DEfinitio ista perperàm intellecta, inter causas præcipuas obscuratæ notitiæ libertatis censeri debet. Hoc enim in speciem præferre videtur, quasi eodē tempore & momento, quo voluntas liberum actum elicit, sit æque proximè accincta & præparata ad liberam suspensionem eiusdem sui actûs.

Sed hæc imaginatio cum doctrina Aristotelis, S. Thomæ, Scoti, & veterum Peripateticorum aperte pugnat, vt ex cap.

V. VI. constat. Si enim vnico iudicio practico vltimo voluntas in appetendo se dirigit, & illo posito *necessariò*, vt Aristoteles loquitur, necessitate non coactionis, sed naturalis inclinationis, ad amandum se determinat, non potest voluntas eo instanti dici tam pręparata ad liberè cessandum quàm ad operandnm; cùm nullum sit iudicium practicum in intellectu, quo liberæ cessationis vtilitas repræsentetur; ipsa verò sine ratione nullum actum liberè eliciat, nullum libere suspendat, vt antè cap. XXII. demonstratum fuit. Vnde illo instanti ad nihil aliud sanè est proximè accincta, quā ad productionem illius actûs, quando quidem intellectus nec de contrario, nec de contradictorio quidquam practicè iudicet. Ideoq; voluntas non habet quò aliò se vertat, quàm vt per essentialem suam libertatem & perfectam spontaneitatem in actum illum se demittat, vt subtiliter aduertit, & suprà cap. IX. docuit Bellarminus.

Itaque vulgari ista definitione definitur non potentia libera respectu cuiusuis sui liberi actûs, sicut cap. præcedentis definitionibus, sed tantùm respectu actûs liberi libertate contradictionis, vt voces istæ, *agere, & non agere*, manifectè significant; qualem libertatem in omnibus huius vitæ actibus experimur, quando plenâ aduertentiâ rationis operamur. Nam *libertas quantum ad actum*, ait S. Tho. *in quantum voluntas potest velle vel non velle, inest voluntati in quolibet statu naturæ, respectu cuiuslibet obiecti.* Vnde illa definitio quandā potentiæ essentialiter liberæ accidentariam proprietatem explicat, quæ non tantùm in actum suum liberum perfectâ spontaneitate se resoluere, sed etiam eum suspendere, siue liberè non-agere possit. Hunc enim sensum propriè exprimunt verba illa Aristotelis, *Honesta agere & turpia*, ὁμοίως δὲ *similiter verò, & non agere in nostra est potestate.* Quod prouenit ex perfectione voluntatis, quæ, vt plurimùm, potest intellectum à iudicio & cogitatione talis obiecti auertere, & sic lucernâ istâ extinctâ, gressum suum siue actum suspen-

S. Tho. q. 22. a. 6. de Verit.

suspendere. Cæca enim potentia sine dictamine & ducatu intellectûs non potest incedere.

Hanc enim contradictionis libertatem sic explicat S. Thomas. *Voluntas*, inquit, *quantum ad exercitium actûs, à nullo obiecto ex necessitate mouetur. Potest enim aliquis de quocumque obiecto non cogitare; & per consequens neque actu velle illud*. Et in hoc S. Thomas liberi arbitrij rationem, & etymologiam constituit. Quòd, inquam, voluntas arbitrium suum siue iudicium, quo ipsa se dirigit, intellectui imperare, applicando eum ad consultandum, vel cohibere posit. Ad hoc autem necessarium est, vt intellectus supra iudiciũ suum se reflectat, & voluntati vtilitatem aliquam in eo eliciendo, aut suspendendo ostendat. Vnde quia brutorum imaginatiua super actum suum se non reflectit, ideo iudicium eorum est immobile & *naturaliter determinatum ad vnum*, ait idem Doctor Sanctus, neq; in ijs vlla est *iudicij libertas*. Nam *iudicare de iudicio suo*, inquit, *est solius rationis, quæ super actum suum reflectitur*. Et alibi: *Bruta non iudicant de suo suo iudicio, sed sequuntur iudicium sibi à Deo inditum, & sic non sunt causa sui arbitrij, nec libertatem arbitrij habent*. Et denique: *Irrationalia animalia sunt quodammodo liberi motûs siue actionis* (quia motus progressiuus ab eorum appetitu imperatur) *non autem liberi iudicij. Intellectualia autem non solùm liberæ actionis, sed etiam liberi iudicij, quod est liberum arbitrium habere.*

Idem 1. 2. q. 10. a. 2.

Idem q. 24. a. 1. 2. de Verit.

Idem lib. 2. c. 48. contra Gent.

Hæc ergo iudicij libertas est causa libertatis contradictionis. Nam licet voluntas iudicij vltimi practici ductum infallibiliter sequatur, ipsa tamen potest iudicium iam elicitum extinguere, & ab actu suo positiuo ad liberam eius cessationem transire. Potest deinde iudicium vltimum practicum præuenire, & ita positiuum suum actum ab initio suspendere.

Quando verò nullum argumentum, nulla ratio ad suspendendum, aut dissipandum iudicium practicum reperiri po-

riri poteſt, tunc ceſſare debet libertas contradictionis, vt in amore beatifico vſu venit. Nam, vt clarè & egregiè Capreolus: quia intellectus Beati *neceſſariò iudicat illud obiectū omnibus penſatis eſſe tunc diligendum ſuper omnia, nec illud iudicium eſt in poteſtate creaturæ ad ſuſpendendum illud, ideo nec appetitus aut fruitio illud iudicium ſequens.* Vbi probat ſuſpenſionem fruitionis non eſſe in poteſtate voluntatis, quia voluntas iudicium vltimum practicum de fruendo ſuſpendere non poteſt. Vnde ſola fruitio ibi eſt in poteſtate voluntatis, ad quam elicendam, per ſolam libertatem ſuam eſſentialem, non per indifferentiam contradictionis, ſe determinat. *Si tamen per Dei potentiam,* addit Capreolus, *tolleretur illud primum iudicium, quo iudicat virtute diuinæ viſionis, illud obiectum eſſe tunc diligendum, & crearetur ſecundum iudicium, de quo loquitur arguens; tunc fortè poſſet non diligere obiectum. Sed de illis miraculis non eſt ſermo pro nunc.* Hinc iterum patet, definitum vulgaris illius definitionis, vt antè dixi, eſſe potentiam bicorni libertate naturali contradictionis liberam, quæ omnibus ad agendum prærequiſitis poteſt agere, & poteſt etiam non agere; quia prærequiſita etiam ad non agendum (intellectū ad excogitandas rationes applicando) comparare ſibi poteſt, *& ſponte operationum principia mutare,* vt ait Ariſtoteles. Talis enim potentia tam actum ſuum poſitiuum, quàm ceſſationem eius in poteſtate ſua habet: adeò vt & ad agendum, & ad non agendum ſe poſsit inclinare, nec ad vnum magis quàm ad aliud conſtricta ſit; licet hic & nunc non ad vtrumque æquè proximè ſit accincta. Patet iſte ſenſus manifeſtè ex Ariſtotele, vnde verba definitionis deſumpta videri, antè diximus Probat enim ibi Philoſophus, tam vitia quàm virtutes eſſe in noſtra poteſtate, quia *ſi agere, cùm honeſtum ſit, in noſtra eſt poteſtate, non agere quoque, cùm turpe ſit, in noſtra erit poteſtate.* Generaliter quippe, vt præmiſerat, *In quibus in noſtra poteſtate ſitum eſt agere, ſitum etiam eſt non agere.* Quod ſanè manifeſtâ

Capreol. 1.d.1.q 3.

Ariſt.lib 1.c.12. mag. moral.

Idem lib. 3. c. 7. Ethic.

expe-

experientiâ actuum, quos in hac vita exercemus, constat. Quisquis enim quippiam amat, facilè rationem aut occasionem aliquam cessandi ab amore reperire potest: cùm plurima impedimenta & distractiones huius vitę singulos actus nostros facillimè interpellent, & voluntatem excitent, vt ab vna cogitatione ad aliam intellectum transferamus.

Deinde *si coacti non ageremus*, inquit Aristotelis Interpres Eustratius, *nihil causæ esset, quo minùs coacti quoque* *Eustrat.* *agere deberemus*. Et sic instar brutorum, utrimque coacti, *ibid.* & necessitate constricti, tam in agendo quàm in non-agendo, essemus.

Sensus igitur Aristotelis & Interpretis eius est, voluntatem, sine necessitate coactionis, tam in vnam quàm in alteram contradictionis partem, posse libertatem suā essentialem exercere, quamdiu in hac vita mortali, inter virtutes & vitia degimus. Nec amplius quàm Aristoteles euincere volunt Patres Græci, dum libertatem humanam per ἰσοῤῥοπίαν *æquilibrium*, ἀοριστίαν *indeterminationem*, ἀδιαφορίαν *indifferentiam* explicant.

Quòd si verò noui Peripatetici perseuerent negare, eum esse suæ definitionis sensum, sed potentiam liberè operantem oportere cum solis ijsdem ad agendum prærequisitis, proximè etiam ad non agendum, seu ad liberam suspensionem actûs, expeditam esse: tunc audacter affirmo, definitionem falsam & sophisticam esse, ac Aristotelis, S. Augustini, S. Thomæ, & veterum omnium Peripateticorum doctrinæ repugnare. Fax enim aliqua iudicij practici, aut cogitationis alterius est vnum ex prærequisitis ad volendum contrariū, aut ad suspensionem actûs; quæ tamen abest, cùm vnicum, quod volumus, tantùm cogitamus, vt toties dictum fuit. Nec amplius, quàm nos, vult S. Augustinus, quando ait, *S. Aug.* *motum quo voluntas huc atque illuc conuertitur, & quo homo ad* *lib. 3.* *superiora & inferiora quasi quendam cardinem voluntatis detor-* *de liber.* *quet, esse voluntarium & in nostra positum voluntate.* Docet *arb.*

enim vtrumque cardinis flexum esse liberum & in nostra potestate, non tamen voluntatem ad vtrumque simul & æquè oportere esse expeditam.

Idē c.13 de duab. animab. Sed nec alibi amplius etiam significat, vbi figmentum duarum animarum, bonæ & malæ, refellens, *An discerem,* inquit, *hinc ostendi animarum duo genera, quòd in deliberando, nunc in malam partem, nunc in bonam nutat assensio? Cur non magis hoc signum est vnius animæ, quæ libera illa voluntate huc & illuc ferri, hinc atque illinc referri potest? Nam mihi cum accidit, vnum me esse sentio vtrumque considerantem, alterutrum eligentem, sed plerumque illud libet, hoc decet, quorum nos in medio positi fluctuamus. Nec mirum: ita enim nunc constituti sumus, vt & per carnem voluptate affici, & per spiritum honestate possimus.* Non amplius, inquam, significat. Quia licet *in deliberando, in malam & bonam partem nutet assensio, & in medio positi* tamdiu *fluctuemus*, in fine tamen deliberationis, vnicum iudicium practicum, ad electionem vnius partis, elicitur, voluntatisque bilanx in vnum tandem latus submittitur; neque stante illo iudicio, in aliud latus reflecti potest, sed solùm postquam nouo iudicio in alteram quasi lancem iniecto, latus istud præponderare cœperit.

CAPUT XXVII.

Conciliatio Aristotelis, S. Augustini, Anselmi, Bernardi, Thomæ, Scoti, qui secum pugnare videbantur in doctrina liberi arbitrij.

Ex doctrina tam explicatè & diffusè à nobis tradita, facilis, credo, iam erit conciliatio illorum Auctorum qui Cap. 11. videbantur pugnantia dixisse. Nam Aristoteles dicit *necessariò* eligi id quod iudicium practicum vltimum approbauit; & tamen etiam posse non eligi; quia voluntas tale iudicium auertere potest. *Potest enim aliquis*

aliquis de quocumque obiecto non cogitare, vt ait S. Thomas. S. Tho. 1. 2. q. 10. a. 2.
Atque ita actio non tantùm libertate essentiali, sed etiam libertate contradictionis libera esse poterit.

S. Augustinus docet *omnem voluntatem*, siue volitionem cum plena aduertentia rationis elicitam, *esse liberam* libertate essentiali; tamen liberum arbitrium *huc atque illuc liberum flecti*, si intellectus voluntati rationes sufficientes repræsentet, cur libertate contrarietatis, aut contradictionis, in partem oppositam valeat se reflectere, aut actum suspendere.

S. Anselmus ait hominem ex se consensum suum habere, non ex natura, *sicut habet equus*. Nec tamen *tractu aut impulsu voluntatis*, quo quis *indeclinabiliter* aliquid vult, impediri, quo minùs consensus iste sit ex ipsa voluntate, & libertate saltem essentiali gaudeat.

S. Bernardus dicit, *Ibi esse libertatem, ubi est voluntas*, secutus Augustinum & Anselmum. Negat tamen, *voluntati necessitatem vllam à ratione imponi, quo minùs liberè pro arbitrio sese voluat, siue in malum, consentiens appetitui, siue in bonum, gratiam sequens*: necessitatem, inquam, negat qualem Manichæi voluntati ab appetitu inferiori imponi fingebant, qua malum tantùm velle posset, fatali aut brutali quadam necessitate, quam cum essentiali libertate pugnare Cap. XVIII. ostendimus.

S. Thomas Aristoteli consentienter loquitur. Cùm verò ait, *opinionem hæreticam esse, quæ ponit, quòd voluntas ex necessitate mouetur ad aliquid eligendum, etiamsi non cogatur*, S. Tho. q. 6. de Malo
manifestè de Manichæis, aut Chaldæis, vel Stoicis loquitur, qui voluntatem fatali quadam necessitate in alteram partem rapi censebant: sine coactione tamen illâ violentâ & rigidissimâ, *cuius principium est extrà*, vt ibidem ait S. Thomas; licet non sine coactione fatali, cuius aliqua principia agendi sunt quidem intrà, sed à principio externo ita abripiuntur, vt motus non relinquatur in eorum potestate.

Digitized by Google

Vnde eiusmodi motus est voluntati simpliciter ineuitabilis, & indeclinabilis tali indeclinabilitate, quæ naturalem libertatem interimit.

Non sic, quando propter rationes ab intellectu propositas, &propter iudicij practici imperium, voluntas necessitatem quandam sibiipsi imponit. Quia vel iudicium illud practicũ mutare potest; vel si, propter rectitudinem talis naturæ intellectualis, immutabile sit, eiusmodi ineuitabilitas non sequitur ex necessitate quæ libertati repugnet, adeoque nec ipsa eidem repugnabit; sicut omnes de eo quod ex præscientia Dei ineuitabile est, fateri debent. Potest enim voluntas iuxta SS. Augustini, Anselmi, Bernardi, Thomæ doctrinam, *insuperabiliter & indeclinabiliter*, hoc est, ineuitabiliter aliquid velle, & tamen liberè libertate essentiali velle. Oportet ergo necessitatem, quæ est ineuitabilitatis radix, considerare. Si illa cum libertate essentiali pugnet, etiam ista, si non, non.

S. Aug. c. 12. de corrept.

Sic quòd Deus non posit velle malum, *non infirma facit necessitas*, ait S. Bernardus, *sed firma in bono voluntas, & voluntaria firmitas.* Hoc est quod alia phrasi S. Anselmus: *Nulla intelligitur violentiæ necessitas, sed bonæ voluntatis spontanea & amata tenacitas.*

S. Ber. de lib. arbit. S. Ansel. lib. 1. c. 10. Cur Deus.

Scotus denique verè dixit, quòd Dei, & nostra voluntas, *vt prior naturaliter suo actu, ita eliciat actum suum, vt possit in eodem instanti elicere oppositum*, quantum est ex parte modi agendi & se mouendi; modò interim haberet iudicium intellectûs paratum, quod ad oppositum ei præluceret. Sic qui in tenebris lucernâ preeunte ambulat per istam viam, quantum est ex parte potentiæ progressiuæ, aliam viam ingredi potest, si lucerna tamen etiam præcedat. Vbi autem lucerna deficit, libertas quoque contrarietatis, aut etiam interdum contradictionis, intercipitur, manetq; residua sola libertas essentialis. Sic Beatus liberè, secundùm etiam doctrinam Scoti, amat Deum, etiamsi nec odisse, nec non-amare possit.

Scot. 1. d. 39. q. 5.

Quòd

Quòd autem non velit Scotus, voluntatem oportere eodem instanti in vtrumque oppositum, duobus iudicijs simul prælucentibus, esse accinctam, patet ex ijs quæ Cap. V. ex ipso attulimus. *Volitio quando elicitur à voluntate*, inquit, *non requirit nisi vnicam intellectionem.* Item: *Si sententia vltimata possit haberi sine discursu, ita perfectè poterit voluntas eligere in instanti, sicut præcedente discursu. &c.* Scot. 2. d. 5. q. 2. Idem 3. d. 18. q. 1

EPILOGVS.

Videtis iam, Viri Eruditissimi, quàm longè extra Lyceum quidam vestrûm hodie ambulent, qui tamen Peripatetici audire volunt. Aristotelis, est etiam S. Thomæ, Scoti, S. Augustini, & veterum Patrum regia via. Hæc inter duas hæreses, Manichæi & Pelagij media incedit. Manichæus vim, quam concupiscentia in spiritum nostrum exercet, sentiens & nimis grauiter expendens, voluntatem, siue partem nostri superiorem ab inferiori, fatali quodam aut brutali raptu ad malum cogi & abripi dicebat: siue vt verbis eorum & S. Augustini loquar, *Naturam boni cogi malè facere ab ea natura mali, quæ bonum non potest velle*: ac proinde *naturâ, non voluntate* nos malos esse. Cùm tamen *dicere* aliquem *peccare sine voluntate*, inquit Augustinus, *magnum sit deliramentum.* S. Aug. lib. 1. Oper. imperf. Idem c. 12. de duab. animab.

Pelagius verò in Gentilium Philosophorum magis quàm Sacræ Scripturæ Schola eruditus, Peripateticorum præsertim & Stoicorum sensum ac superbiam imitatus, voluntatem non tantùm naturaliter liberam, sed etiam in pari inter bonum & malum æquilibrio, tam validam ad virtutes quàm ad vitia constituit, id est, *libertatem naturæ* & *libertatem gratiæ*, vt loquitur S. Bernardus, quasi in vnam confudit, credens illud totum fieri à natura, in quo tamen gratia suam partem, & quidem præcipuam habet. Nimis ergò conditionem humanæ voluntatis depressit Manichæus, nimis extulit Pelagius. Democritus & Chaldæi,

fatalis raptûs & necessitatis assertores, similiter res Manichæo, Aristoteles Pelagio.

Nonne enim Pelagij hæresin graphicè hîc & breui compendio comprehensam videtis? *Quia*, inquit, *agere & non agere positum est in nostra potestate, honesta agere & turpia, & similiter non agere, in nostra est potestate. Id autem est, vt boni & mali simus. Vnde in nostra quoque potestate erit, vt frugi simus, & nequam.* Quasi tam plenam ad bonum, quàm ad malum habeamus potestatem. Aristoteles ergo humanæ libertatis essentiam magno suo ingenio & acumine intellexit, non intellexit morbum. Cogitabat enim, *quod omnis mens apud se diuinitus conscriptum legit, quod in montibus cantant pastores, in theatris Poëtæ, indocti in circulis*, vt ait S. Augustinus, *neminem esse vituperatione dignum, qui id boni non faciat, quod facere non potest.* Vnde cùm iā peccent, & iustè vituperentur homines omissione boni quod facere iubentur, mendosè collegit Aristoteles, etiam nunc in plena hominis potestate esse, declinare à malo & facere bonum; nesciens olim quidem cum tali potestate conditam fuisse hominis naturam, sed culpâ suâ in hanc *peccandi*, vt loquitur S. Augustinus, *necessitatem* decidisse. *Multum enim erras*, ait Iuliano, *qui vel necessitatem nullam putas esse peccandi, vel eam non intelligis illius peccati esse pœnam, quod nullâ necessitate commissum est.*

Arist. lib. 3. c. 7. Ethic.

S. Aug. c. 11 de duab. animab.

Idem lib 1. Oper. imperf.

Talem verò peccandi necessitatem extra culpam non esse, etiam pastores & montani Corydones in eadem naturæ luce legunt, & optimè, opinor, intelligunt. Non enim se, aut sodales excusant, qui in Phyllidum, Galatearum, Alexium impuros amores spontè præcipitati, in ijsdem propriâ voluntate, quamuis turpi amore captiuâ, sine verâ & efficaci pœnitentiâ, se voluunt reuoluunt; etiamsi velleitate languidâ, & tristi cicutarum Musâ, magis ob amandi molestias, aut spes dilatas, quàm vero honesti amore, carmina ista suspirent:

Vt vidi,

Digitized by Google

Vt vidi, vt perij, vt me malus abstulit error. Virgil.
Nec lachrymis crudelis amor, nec gramina riuis,
Nec cythiso saturantur apes, nec fronde capellæ.
O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas,
Nil nostri miserere, mori me denique cogis.

Hæc enim necessitas non est Manichæa, aut fatalis, quia voluntas naturali sua libertate se mouens, modò diuinitus adiuta, vincere eam, & velle bonũ potest. Hinc Augustinus Manichæi erroris calumniã breuissimè propulsans, *Natura humana*, inquit, *etiam cùm per vitium mala est, capax est boni.*

Deinde, quando abstracta & illecta à concupiscentiâ vincitur, libertate tamen sua naturali in peccatum consentit, *manetque*, vt egregiè Bernardus, *libertas voluntatis, ubi est captiuitas mentis: tam plena* (si essentiam eius spectes) *in malis quàm in bonis, sed in bonis ordinatior.* S. Bern. de lib. arbit. In tali nihilominus liberâ captiuitate negat S. Augustinus decuisse Conditorem, creaturam rationalem & imaginem suam ab initio condere, sed in *miseræ* istius *libertatis*, vt vocat Bernardus, statum, non nisi per peccatum potuisse decidere.

Vnde idem Augustinus, phrasis sacræ Scripturæ amator & vnicè retinens, nomine libertatis vix dignatur potestatem illam voluntatis ad malum, quæ veluti captiua, concupiscentiæ tanquam tyranno seruit: ideoque solam potestatem ad bonum, libertatem vocare, vt plurimùm, consueuit. Hinc gratiam & charitatem sæpè libertatem appellat, quia gratia quasi complet potentiam & naturalem libertatẽ voluntatis, vt in actum liberum, quo se à vinculis concupiscentiæ expedit, exerere possit, id est, vt bonum & bene velit. Sed quia tamen hic tam restrictus loquendi modus, doctrinam S. Augustini aliqua obscuritate inumbrabat, lucem egregiam intulit S. Bernardus, dum *libertatem naturæ à libertate gratiæ*, hoc est, vt ait, *libertatem à necessitate, & libertatem à peccato*, in uno eodemque actu bono distinxit. Vnde illud, *Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis*, nõ de libertate Ioan 8.

naturæ

Digitized by Google

naturæ & à necessitate, sed de libertate gratiæ & à peccato intelligit. *Significabat enim Christus*, inquit, *liberum arbitrium liberatore indigere; sed planè quòd illud liberaret non à necessitate, quam voluntatis esse penitus non nouerat, sed à peccato, in quod tam liberè quàm voluntariè corruerat.* Non liberauit ergo Christus voluntatem humanam à necessitate coactionis violentæ, fatalis, & brutalis, quæ in voluntatem, modo suo connaturali agentem, cadere non poterat; sed à peccato tam habituali, quàm actuali, in quod concupiscentia voluntatem illicit & abstrahit, nisi gratia liberatrix ei manum iniiciat.

S. Ber. ibid.

Manet interim in isto consensu prauo naturalis libertas, quia homo à concupiscentia *voluntarius efficitur*, ait Bernardus. *Vbi autem voluntas, ibi libertas*, vt summo consensu post Magistrum suum Augustinum, SS. Prosper, Fulgentius, Anselmus, Bernardus clamant.

Ibid.

Non est periculum libero arbitrio ex gratia Dei, inquit S. Prosp. *nec voluntas aufertur, cùm in ipsa bene velle generatur.* Deinde: *Non conturbat nos superbientium inepta querimonia, qua liberum arbitrium causantur auferri. Volentes oramus &c. Volentes loquimur &c. Volentes operamur &c. Volentes diligimus Deum & proximum.*

S. Prosp. c. 12. & 38. cōtra Collat.

Libera voluntas, ait S. Fulgentius, *eam in se habet naturaliter qualitatem, vt appetere spontè possit bona vel mala; sed bona proficiendo appetit, mala deficiendo.*

S. Fulg. lib. 2. de verit. predest. c. 7.

Nulla tentatio, inquit S. Anselmus, *potest voluntatem, nisi volentem auertere à rectitudine ad peccatum, id est, ad volendum quod non debet. Cùm ergo vincitur, non aliena vincitur potestate, sed sua.* Atque ita probat, voluntatem non nisi liberè, non autem *cogente tentatione, rectitudinem deserere.*

S. Ansel.

Si autem velim omnia S. Bernardi testimonia congerere, totum penè librum eius De lib. arb. & Sermonem LXXXI. in Cantica oporteat huc transscribere. Vos potiùs, si placet, voluite reuoluite, Viri Eruditissimi. Et addite S. Anselmi libros

Digitized by Google

libros De libero arbit. De casu diaboli, Cur Deus homo, & De conceptu Virginali.

Sed si ad naturalem libertatem, inquiunt aliqui, voluntarium & perfectè spontaneum sufficiat, cur explicatu tam difficilis, quàm S. Augustino visa, notio libertatis, & eius cum diuina præmotione concordia?

Sed hæc quæstio potest egregiè ἀντιστρέφεσθαι, & in Auctores suos retorqueri. Si enim libertas in actuali indifferentia consistit, qua voluntas duobus vtrimque accincta iudicijs, inter duo opposita, tanquam in bilance, suspendi debeat, tam facilis est eiusmodi libertatis imaginatio, vt nemo piperis aut cumini libripens faciliùs trutinæ suæ nutus & oscillationes mente concipiat. Deinde, si ad omnem actum liberum necesse sit, voluntatem incipere, & primum nutum ac flexum omnibus concupiscentiæ, aut gratiæ motibus dare, puer quivis facillimè intelliget, ne hilum quidem per concupiscentiæ, aut gratiæ impulsum, voluntatis libertatem violatum iri.

In Philosophia verò SS. Patrum & S. Augustini, summa ingenia vix penetrare valent, quo alio peculiari modo voluntas se moueat, quo non potest appetitus bruti. Qua deinde ratione, voluptate carnali potentissimè eam ad malum abstrahente, aut delectatione spirituali gratiæ *indeclinabiliter & insuperabiliter*, vt loquitur S. Augustinus, eam flectente, liberè nihilominus, & cum indifferentia quadam essentiali voluntas sequatur, ac seipsam sub tam potenti tractu promoueat, explicatu non est facile. Nec ego explicare aggredior, nisi Sedes Apostolica, quæ vetuit, huius laboris mihi veniam concedat.

S. Aug. c. 12. de corrept.

VALETE.

actum confluit cum consensu voluntatis, perinde ferè ac corpus cum anima in vnum hominem coalescit, vt post Gregor. Nyssenum S. Thomas docuit. Hinc etiam Aristoteles vtrumque ad electionem pertinere existimans, alicubi ait, *προαίρεσιν εἶναι ὀρεκτικὸν νοῦν, ἢ ὄρεξιν διανοητικὴν, electionem esse appetitiuum intellectum, aut appetitum intellectiuum.* Vnde error practicus contra prudentiam non tam dicendus antecessisse peccatum primum primi hominis, quàm partem quodammodo fuisse prauæ electionis.

S. Tho. 1.2.q.13 a.1. Arist. lib. 6. c. 2. Ethic.

CARNEADES.

Non videmur experiri, nos semper ante actum liberum voluntatis, elicere iudicium practicum, quo hoc agendum esse nobis persuadeamus.

CHRYSIPPVS.

Nec mirum. Quia neque simplices apprehensiones, aut quicumque alij actus à iudicijs practicis distincti, semper talia vestigia in animo relinquunt, quæ ad recordationem sufficiant.

Cogita ergo, nullam auram tam inquietam, nullum tam mobilem & volatilem ventum, quàm sit hominis intellectus. Hic enim per omnes suos actus, simplices, complexos, ineffabili velocitate, innumerabili intra breuissimum tempus multitudine & varietate, inexplicabilibus mæandris & gyris currit, recurrit. Qui tamen actus omnes memoriam & recordationem effugiunt, nisi intellectus alio actu reflexo vestigia eorum menti quodammodo imprimat. Quod quomodo fiat, nihil pænè in tota Philosophia est tenebrosius, nec vllum humani ingenij hactenus acumen eò vsque penetravit.

CARNEADES.

Quomodo qui in metu naufragij proijcit merces, non duo iudicia practica vltima simul format, cùm iacturam illam facere velit, & tamen se facere doleat?

CHRYSIPPVS.

Quoties plura simul agenda decernuntur, pluribus quoque simul iudicijs practicis est opus. Vt cùm Textor in opere suo manus & pedes simul agitat, cùm Psaltes citharam tangit & vnà saltat.

Sic qui merces abijcit, abijciendas, & tamen simùl hoc dolendum esse iudicat. Abijcere enim & dolere simul potest. Vt autem in abijciendo sit liber, nullum de retinendis mercibus absolutum iudicium vltimum practicum elicere simul debet, imò non potest.

Cum Superiorum Approbatione.

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PANDIMIGLIO
APR. 1971
LEGATORIA - R... A